





VITT. EMANUELE
EBORENSE
32
E
31



VITÆ ITALORUM

DOCTRINA EXCELLENTIUM

DECAS V.

AUCTORE


ANGELO FABRONIO

ACADEMIÆ PISANÆ CURATORE.



EXCUDEBAT FLORENTIÆ

CAJETANUS CAMBIASIUS



SUPERIORIBUS ANNUENTIBUS

MDCCLXXV.

MARIÆ TERESIÆ
AUGUSTÆ
APOSTOLICÆ REGINÆ



Uæ de Caroli VI. Cæſaris immortalibus laudibus attigi in Vita Apoſtoli Zeni, quæ TU clariſ-

ſimi Patris exemplum ſe-
cuta in illum ipſum con-
tuliſti beneficia, quæ con-
ſtanti & perpetua volunta-
te geris ad litteras, litte-
ratoſque viros decorandos,
ſatis juſtas eſſe cauſſas pu-
tavi a TE poſtulandi, ut
Auguſtum tuum Nomen
in hoc libro mihi inſcribe-
re liceret. Benigne porro
a TE mihi factum eſt; ſed
quia nihil vulgare MAJE-
STATE TUA dignum vi-

deri poteſt, vellem equidem, ut beneficii magnitudini, quod offero, donum reſponderet. Tum & mihi plurimum gratularer, & non mediocriter ſummorum virorum, quorum res geſtas hiſtoriæ mandavi, felicitati additum arbitrarer, quod ornamenta honoris, monumenta gloriæ, laudis inſignia, quæ magnis laboribus ſibi pepererunt, in

tua

tua tutela esse volueris. Vive diu Religionis præsidio, litterarum decori, Reipublicæ bono, sæculi felicitati.

Devotus MAJESTATI TUÆ
Angelus Fabronius.

INDEX

VITARUM.



APOSTOLUS ZENUS.



Postolus Zenus Venetus, cum unus inter omnes excelleret cognitione antiquitatis, & illius præsertim, quam medii ævi & historiæ litterariæ nomine appellamus; cumque non modo ad hanc illustrandam, sed etiam primus Italorum ad melodramata scribenda mirum acumen, prudentiam, perspicuitatem & elegantiam Etrusci sermonis contulisset; iisque esset moribus, ut præberet omnibus illustre humanitatis & innocentiæ exemplum, eam obtinuit gloriam, quam pauci postea sunt consecuti. Nec deerat illi etiam antiquitas generis. Erat enim Patriciorum ejusdem nominis gentilis, quamvis Venetæ nobilitatis jure minime frue-

retur. Se tamen nobilem Cretensem appellabat, quod eius familia V. fere ante sæcula deducta in illud regnum cum Venetorum colonia manserat ibi in honore ac dignitate, quoad ipsum in Turcarum potestatem venit. Natus est III. Id. Decembres an. MDCLXVIII. Petro Zeno, qui satis laudabiliter Venetiis medicinam faciebat, & Catharina Apostoli Sevasto, cuius gens patrum memoria potuerat multum in Cretensi insula nobilitate & opibus. Pater mature decessit filios relinquens duos Apostolum & Nicolaum adhuc in teneris, qui matris diligentiæ concrediti satis feliciter ætate & moribus procedebant. Hæc, quamvis non multo post nupserit nobilissimo viro Antonio Cornelio, non tamen Apostoli curam dimisit, dum Nicolaum apud se haberet aleretque illius Patruus Episcopus Justinopolitanus. Sed hoc e vivis erepto post. id. Aug. an. MDCLXXX. Nicolaus Venetias venit, ut cum fratre operam studiis daret in Seminario, quod ab loco appellatur

Castel-

Caſtelli, quodque regunt Religioſi viri Somaſchi. Ibi in Rhetorica præceptorem habuerunt Auguſtinum Rizzottum Venetum: philoſophicum vero ſtadium cucurrerunt, præeunte Claudio Ugone Brixiano. Sic igitur fratres ingenium excolebant paribus quidem ſtudiis, licet diſpari fructu: Apoſtolus enim Nicolao multum ingenio antiſtabat. Sed de hoc ſatis. Plurima enim alii de eo nobis ſcripta reliquerunt. Apoſtolus barbariem, quæ tunc dominabatur in ſcholis, feliciter declinavit; manſuetiorumque muſarum valde ſtudioſus jam ab an. MDCLXXXIV. carmina elucubraverat, quæ *Venetum incendium* inſcripſit. Hæc typis commiſſa Marco Antonio Juſtiniano, qui Venetiis tunc temporis ſummum tenebat imperium, nuncupavit. Perſii ſatyras Italicis carminibus interpretatus eſt, cuius interpretationis autographon exſtare ſcio Venetiis apud religioſum quemdam hominem Servorum, ut vocant, B. M. V. Ad hæc non pauca, ut ſtylum exerceret, e

Latino in Italicum convertit. Lyrica quoque plurima ſic condidit, ut unus ad poeſim inſtructiſſimus videretur. Sed hæc omnia grandior factus improbavit cremavitque, ſi unum excipias, cuius initium, *Donna ſe avvien*, quodque a Muratorio ſuum in opus de Perfecta Italica Poeſi relatum fuit. Præcepta ſcribendi, quæ puerilis doctrina tradidit, ſubtilior cognitio ac ratio litterarum aluit, confirmavitque continua lectio veterum oratorum ac poetarum. Qua facultate præditus Apoſtolus, cum quo ſe verteret aliquandiu dubitaſſet, otii impatiens, & ceterarum rerum, quæ adoleſcentiam oblectare ſolent, incurioſus, aut contemptor, ſtatuit illi præſertim generi eruditionis, quæ hiſtoriam juvaret, nec non poeſi totum ſe dare. Ex omnibus autem poeſis generibus dramaticum ſibi maxime excolendum ſumpſit, quod hujus vacuam poſſeſſionem facile tenere ſe poſſe ſperabat. Quamvis enim tum multi eſſent melodramatum ſcriptores, a-

deo

deo eos sæculi vitia & corruptela depravaverant, ut nulli esse viderentur. Et quanquam haud pateretur natura poesis veterem illam excellentemque prudentiam Græcorum ad nostrorum theatrorum usum moremque transferri, sic tamen confici posse dramata intelligebat Zenus argumentorum, sententiarum & verborum delectu, ut si non omni ex parte perfecta, tolerabilia tamen essent futura. Cum primum ad scribendum animum appulit, pastoritia argumenta tractavit, & in scenam adduxit. Haud mediocriter plausum fuit Thyrsidi, incredibiliter vero Narciso, quanquam in eo per XV. dies tantum elaboraverit. Post id experiri voluit Zenus quid posset ingenium suum in gravioribus tractandis argumentis. Scripsit varia, quæ ubi spectata, placuere. Sed nunquam majori usus est fortuna, quam cum anno MDCC. Venetiis L. Verum dedit. Istud enim melodrama non solum semper habuit plausores, ut Horatianis verbis utar, aulæa

manentes, ſed & pluries repetitum non Venetiis tantum, ſed & Florentiæ, alibique; fuitque, ut ita dicam, buccinator eximii ingenii & judicii, quo pollebat Zenus in hoc poeſis genere. Quapropter minime eſt mirandum ſi ejus opera requireretur a multis; & quamvis nunquam avare pretium ſtatuerit arti ſuæ, & eum eſſe quæſtum in animum induxerit maximum quam maxime ſervire & ſuæ & Italiæ gloriæ, nihilo tamen minus emolumenta & præmia conſecutus eſt ſingularia. Mutinam ineunte an. MDCC. venit vocatus ab illius Duce Rinaldo I. qui dramate aliiſque apparatiſſimis ſpectaculis diem condecorare volebat, quo Franciſcus Parmæ Dux nomine Leopoldi Cæſaris e ſacro baptiſmatis lavacro filium ſuum natu majorem ſuſcipere debebat. Antequam dramati manum admoveret Zenus, de ejus argumento & œconomia Dux voluit doceri. Qua de re cum locutus fuiſſet cum eo, qui primum locum in Aula tenebat, qui ſe

poe-

poetam profitebatur, non dubitavit hic insolentissime jactare se se posse meliora conficere, seque magna jam ex parte confecisse. Huius rei verissimum & sapientissimum Judicem Dux fore putavit Iosephum Ursium; quare secreto Bononiam certum hominem misit, qui expositis dramatum argumentis eorumque formis, celatisque Auctorum nominibus, ipsius sententiam exquireret. Non hæsitans respondit Ursius altera esse cogitata hominis prudentissimi (erantque Zeni) altera ignari ac plane rudis in hujusmodi poesis genere; quod judicium magno cumulo auxit opinionem, quam Dux de Zeno conceperat. Ex quo factum est, ut eum apud se retinere studuerit; quo beneficio uti noluit Zenus aulæ inimicus, Venetiarumque suarum amantissimus, quibus graviora studia sua destinasse videbatur. Venetam Ecclesiasticam historiam texere cogitabat; collegeratque ad eam rem monumenta quamplurima temporum, hominum, loco-

rum, geſtarumque rerum. Cupiebat exponere vitas doctiſſimorum quorundam Venetorum, qui non de litteris ſolum, ſed etiam de patria optime meriti eſſent; certiſſimiſque monumentis memoriam illorum conſecrare, qui de rebus Venetis ſcripſerunt. Cumque ſe non popularem unius urbis civem, ſed totius Italiæ agnoſceret, ad hujus gloriam laudemque celebrandam, atque hiſtoriam magis magiſque illuſtrandam conferre propoſuerat ſibi quantum litteris, quantum ſtudiis, ſuis unicis delectationibus, quantum amicorum ſubſidio conſequi potuiſſet. Ea voluntate aggreſſus aliquando opus fuerat, quod inſcribere meditabatur, *Rerum Italicarum Scriptores hactenus deſiderati*, eratque dignum ejus facultate & copia, cum ſuſcepiſſet ut obſervationibus & notis uniuſcuiuſque Hiſtorici ſcripta adornaret, ejuſque vitam declararet (1). Sed acriore etiam ſtudio & labore, atque induſtria ſuperiore urgebat opus, quod an. MDCXCVII. aggreſſus fuerat

de

de Italis Poetis. Hoc Zeno erat in animo exponere vitas omnium alicujus nominis Poetarum a fæculo XII. hoc eft ab ultima Italicæ poefis origine ad fuam usque ætatem, ipforum opera enumerare, deque his non fua modo, fed & doctorum virorum judicia referre. Nec quæ eodem fuper argumento vulgaverat Crefcimbenius, minuebant, fed potius augebant Zeni induftriam. Illud enim non fatis accurate, ac nimis breviter ftrictimque tractaffe Crefcimbenius merito judicabatur (2). Coniiciebat Zenus bis mille circiter Poetarum vitas libris, quos adornabat, contentum iri; nec vitas tantum, fed etiam imagines, quæ reperiri potuiffent. Operi vero anteire debebant Differtationes duæ de poefis, ac linguæ Italicæ ortu, progreffu, ac viciffitudinibus, quarum lineamenta ex iis, quæ infra exfcribemus, perfpici poterunt (3). Manus extrema ab an. MDCC., ut ex Zeni ad Magliabechium epiftola intelligi poteft (4), acceſſerat priori volu-

mi-

mini, quod Poetarum historiam ad finem usque sæculi xiv. complectebatur. Nec dubitarit quisquam fuisse hanc difficiliorem totius operis partem, utpote quæ res a memoria nostra longissime remotas, & reconditiora monumenta continebat. Reliqua etiam inchoata; sequentibusque temporibus universum opus eo perductum, ut magna jam ex parte perfectum esset. Nihilo tamen minus extremo fere in cursu constitit Zenus, & ea, quæ ante diximus, hominum luce privavit; qua de re cum se purgaret, solebat culpam in necessitatem, magnitudinemque operis, & impensarum ad illud typis imprimendum transferre. Neque meliores exitus habuerunt scripta illa, quibus Ecclesiasticam patriæ historiam illustrare sibi proposuerat; & de quibus Marci Foscareni gravissimum judicium ac testimonium referre juvabit. Ait enim (5) Zenum, opem ei ferente Sacerdote optimo Ioanne Baptista Leonarduzio, ex sepulcrorum inscriptionibus, tum publi-

bli-

blicis tum privatis tabulariis, nec non historiis & annalibus adeo multa collegisse, ut ex iis non modo Episcoporum, Patriarcharumque, sed etiam Primiceriorum & Parochorum a sæculo XII. ad hanc ætatem successiones, a quibus orti, quos honores, quibusque temporibus cepissent, possimus cognoscere. At si quis dolens orbitatem horum, aliorumque Zeni operum eam ob caussam, quod fastigium iis minime fuerit impositum, arguere voluerit Zenum ipsum, non aliqua in re una separatim elaborasse, sed in plura semper eum distractum fuisse, non magnopere repugnabo. Quod non incostantiæ, sed facilitati potius summæ, qua ad aliorum magis, quam ad suum studia colebat arbitrium, tribuendum est. Nemo fere erat ex Italorum numero, qui in eam curam incubuisset, ut quæ vel ab antiquis, vel a recentioribus sapienter excogitata eleganterque conscripta sunt, ea in manus hominum accuratissime castigata, atque exornata pervenirent,

rent, quin ad Zenum confugerit, ſeque ab eo plurimum & conſilio & opera adjutum minime confeſſus fuerit. Non defuerunt etiam homines auctoritate ſumma, qui exegerint ab eo, ut minus grata perſcriberet. Talia fuerunt ea, quæ hiſtoriam narrant Regum magnæ Britanniæ, Scotiæ, Sveciæ, & Daniæ, Ducum Olſatiæ, & Comitum Geldriæ, quæ omnia quatuor voluminibus comprehenſa ad x. uſque volumen opus inſcriptum *il Mappamondo Iſtorico* perducunt. Etenim illius auctor Antonius Foreſtus e Societate Jeſu non ultra VI. volumen proceſſerat; & quam feliciter proceſſerit ii facile intelligent, qui hiſtoriam cum hiſtoria, & ſcriptorem cum ſcriptore comparaverint. Sperabat Zenus poſſe ſe etiam meliora perficere, quando ad Batavam hiſtoriam perveniſſet, pro qua multum elaboraverat, cuique XI. operis volumen aſſignaverat. Qua de cauſſa vero inſtituta minime abſolverit ignoro. Nam quod extat XI. volumen duas in

par-

partes distributum non Batavas, sed Turcicas res continet, neque hoc Zenum, sed Dominicum Suaresium habet auctorem. Reliqua vero duo, quibus clauditur opus, volumina ad Sinense, magnique Mogoli imperium pertinent, conscriptaque a Silvio Grandio Ariminensi fuerunt. Omnino vim hoc erat afferre Zeno aliquid ab eo petere, quod præstare se posse consideret, iis præsertim in rebus, quæ ad litteras pertinerent. Cum sæpe a typographis consuleretur de doctorum virorum scriptis, quæ edi & ornari magis conduceret, nunquam ab se consultores suos vacuos dimisit; utque eorum & reipublicæ utilitati serviret, non recusavit aliquando injucundum interpretis munus sustinere, e Gallico in Italicum sermonem convertens elementa historiæ Vallemontii, nec non opuscula quædam Gronovii antiquitatis monumenta illustrantia (*6*). Rogatus ordine disponere libros Bibliothecæ Grimaniæ, quæ est ad S. Mariæ Formosæ, ut & privata quædam ta-

bu-

bularia, diligentiſſime hæc præſtitit; & ſi quid latuiſſet in hujuſmodi aliiſque theſauris quod publica luce dignum exiſtimaſſet, ſeponebat notabatque ea mente, ut ſcriptum ipſum, aut ſaltem de eo obſervationes ſuas in vulgus ederet (7) non ſecus ac Lambecius præſtiterat de iis codicibus, qui in Bibliotheca Cæſarea aſſervantur. Sunt vero innumerabilia, quæ amicorum poſtulationibus concedere ſolebat. Neminem enim invenies, qui Zeno, ut ex ejus editis epiſtolis cognoſci poteſt, ad amicitiam fuerit aptior; & amicos parare, & omnium officiorum genere colere, optimam & pulcherrimam vitæ, ut ita dicam, ſuppellectilem exiſtimabat. Ut quisque maxime & virtute & ſapientia eſt munitus, ut paucis egeat, ita in amicitiis expetendis colendiſque maxime excellit. Igitur cum ita ſe gefferit Zenus & doctrina & natura, ut aliis magis quam ſibi vixerit, non magnopere reprehendendus eſt, ſi interrupta multa non contexuerit

rit

rit, nec absolverit instituta. Ille vero omnia, quæ gerebat, spargere se ac disseminare arbitrabatur ad excitandos Italos suos ad laborem & laudem, excolendamque rectam studiorum rationem. Et certe numerandus est in principibus, qui barbariem, quæ fœde dominata est superiori sæculo, fugarunt; cui rei non mediocriter quoque contulit instituta ab ipso cum paucis aliis cordatis viris Animosorum Academia, quæ in Ædes Ioannis Caroli Grimanii cogebatur, antequam colonia Arcadica facta est. Inter cetera queri solebat Zenus poesim & eloquentiam omnem illam salubritatem Etruscæ dictionis, quasi sanitatem, perdidisse, ac pene loqui dedidicisse; neque est credibile quantum voce, exemplo & auctoritate enisus sit, ut tantum malum sanaretur. Ne quid vero subsidii deesset bene animatis, in epitomen redegit Dictionarium, quod ab Academicis, ut vocant, *della Crusca* confectum fuerat, vulgatumque an. MDCXCI.

Hanc

Hanc epitomen prudentia ſane ſumma confectam duobus voluminibus comprehendit Zenus, eandemque & ſuo & Academici Florentini nomine (in Academiam enim an. MDCC. cooptatus fuit) ornare in animo habebat. Sed cum obſtitiſſent collegæ illius, quod cautum legibus dicerent ne quis Academici nomen iis operibus præponeret, quæ Academiæ judicium antea minime ſubiiſſent, Zenus ſententiam mutavit, ſeque Academici Animoſi nomine tantummodo deſignavit. Nec minus de Etruſcæ linguæ ſtudioſis promeruiſſe videtur Zenus, quod typis imprimendum curaverit opus illud poſthumum Alexandri Taſſonii, cui titulus *Annotazioni ſopra il Vocabolario della Cruſca*. Sunt enim in eo multa utiliſſima; quamquam Taſſonius Phalaridis magis, quam Ariſtarchi perſonam ſuſtinere voluiſſe videatur. Multum etiam adjuvit Zenus eos, qui ad Jo. Caſæ & Franciſci Redii opera, copioſe magis quam antea Venetiis impri-

primenda ſtudium contulerunt, quæ omnia cum ita accepiſſet memorata Furfurea Academia, perinde ac ſi Zenus in ſe ipſam illa contuliſſet, locum ipſi inter ſuos dandum putavit. At ex omnibus curis, quas contulit Zenus ad litteras provehendas, nulla eſt ſive utilitate, ſive gloria meo judicio cum illa comparanda, quam impendit in opus, quod inſcribitur *il Giornale de' Letterati d' Italia*, quodque anno MDCCX. in vulgus edi eſt cœptum. Antea quidem edebatur Venetiis opus huic non prorſus diſſimile, cuius erat inſcriptio *la Galleria di Minerva*. Etenim de recentioribus Italicis libris referebat; nec raro Zenus ipſe relator fuit, ut rem gratam amicis faceret. Quin etiam ſuppeditavit aliquando ſcriptum aliquod, ſicuti Triſſinii, & Guarinii vitas ad illud ipſum opus ornandum. Nihilo tamen minus nec recte, nec ordine illud procedebat, & multorum ſordes cum paucorum clariſſimorum hominum ſplendore commiſcebantur (8). Itaque hoc maxime conducere ad Italiæ

gloriam arbitratus eſt Zenus tales fieri Ephemerides, quæ optimum quemque librum Italorum Scriptorum ſeligerent, de quo referretur, & de quo grave & ſincerum judicium exponeretur. Quoniam id confici ſine plurium intelligentium opera non poterat (neque enim hoc ſibi arrogabat Zenus ſe poſſe de rebus phyſicis, mathematicis, theologicis, & ad Juris prudentiam pertinentibus ſcienter dicere) viginti & amplius doctrina præſtantes homines per Italiam ſparſos in ſocietatem operis vocavit (9), e quibus præſertim nominabo Antonium Valiſnerium, Joannem Polenium, Jo. Baptiſtam Morgagnium, Benedictum Bacchinium, Juſtum Fontaninium, Ludovicum Muratorium, Salvinum Salvinium, & Scipionem Maffejum. Norunt omnes fuiſſe poſtremum hunc pluſquam ſatis gloriæ cupidum; cui ſe ſervire putavit, ſi nonnulla, quæ contulerat in communionem operis, ab eo ſeparaſſet, & tanquam propria cum aliis ſcriptis ſuis in publico propoſuiſſet. Talia erant

epi-

epistola, qua Ferdinando III. Etruriæ Principi opus nuncupatur, hujus præfatio, & quæ exponunt tradita a Gravina *de origine Juris*. Non est credibile quam hoc indignatus sit Zenus; nec dubitavit ipsi Maffejo indicia dare suæ indignationis, quam hac etiam de caussa justiorem putavit, quod illi suppeditaverat notitiam earum rerum, de quibus in eadem præfatione narratur. Nimis longus essem, si referre vellem omnes offensiones, querelas, atque molestias, quæ ab hoc Ephemeridum opere, tanquam a fonte, ad Zenum profluxerunt. Neminem vero magis infestum magisque arrogantem expertus est Jesuita quodam cognomine Bernardo, qui tribus editis epistolis petulantissime invectus est in Zenum, aliosque, quos aut auctores, aut fautores putabat earum rerum, quæ in III. volumine adversus Germonium *pro vindiciis antiquorum Diplomatum Justi Fontanini* prolatæ fuerunt. Adversario suo responsum nullum dedit Zenus, quanquam ad dandum stimulare-

 tur

tur ab amicis. Nam in ea erat ſententia ſe non poſſe melius hujuſmodi homines ulciſci quam contemptu. Præter quam quod ſibi rem eſſe exiſtimabat non cum uno Bernardo, ſed cum omnibus Jeſuitis, qui veluti ſues uno læſo gregatim ingruebant univerſi. Si aliquando adverſus hos calamum ſumpſit non ſuam, ſed litterarum, litteratorumque virorum, & Italiæ cauſſam egit, ut indicant permulta ſparſa in Ephemeridum voluminibus, quæ Scriptores præſertim Trevoltienſes oppugnant. Ex his autem omnibus ſcriptis maxime commemoranda videtur epiſtola ad Joſephum Urſium, qua ab accuſationibus Bohourſii, & Trevoltienſium propugnatorum illius, defendit locum quemdam Torquati Taſſi, ubi de pugna, quæ fuit inter Tancredum & Clorindam ait:

. . . . . . e ſe la vita
Non eſce, ſdegno tienla al petto unita.

Optimam figuram (10) hanc eſſe oſtendit

Ze-

Zenus auctoritate & exemplis non ſolum Græcorum & Latinorum; ſed etiam ſcriptorum illorum, qui a Bohourſio laudibus in cœlum elati fuerant; & poſtremo phyſicis argumentis probat, qui fieri poſſit, ut acceptis mortiferis vulneribus ab homine magnanimo & timido, diutius ille quam hic animam retineat. Qui legent hanc Zeni epiſtolam, aliaque plurima ejuſdem, quibus auxit Ephemeridum libros, facile judicabunt, quam eſſet in ſcribendo elegans, & in exiſtimando prudens; nec mediocres illi gratias habebunt, quod in hujuſmodi opere provehendo, cujus ſingulis quibuſque annis quatuor volumina in lucem exibant, pluris illi fuerit Italiæ gloria atque utilitas, quam propria quies. Remittere aliquid de ſumma contentione, quam in Ephemerides Litteratorum aliaque ſtudia impendebat, coactus eſt ob collatum ſibi Veneti Lœmocomii præfecturam, quam Anno MDCCXII. ſuſcepit, & per triennium ſuſtinuit. Habebat etiam, quæ illum angerent, domeſticas curas; &



hæ & nunquam antea intermiſſæ mentis exercitationes plurimum de ejus valetudine imminuerant. Cum ſeptem annos ante uxorem duxiſſet Ludovicam Mundonovam Joannis Cauſidici filiam, & ſperaſſet hanc conjunctionem ſibi voluptati & tranquillitati fore, diſcruciabatur videns multum extenuari ſpes ſuas. Quo cum in ſtatu eſſet, pergebat, quantum publicæ occupationes paterentur, ad ea ſolatia, quæ non modo ſedatis moleſtiis jucunda, ſed etiam hærentibus ſalutaria illi eſſe potuiſſent. Poſtulabatur jamdiu ab ipſo, vel potius flagitabatur, ut in vulgus ederet, quæ de Venetis Hiſtoricis collegerat; cumque ſe debere hoc munus putaret non ſolum eorum ſtudiis, qui litteris delectabantur, ſed etiam patriæ, egit cum typographo Loviſa de recudendis Hiſtoricis illis, qui res Venetas publico decreto ſcripſerunt. Fuerunt hi Marcus Antonius Sabellicus, Petrus Bembus, Paulus Paruta, Andreas Maurocenius, Baptiſta Nanius, & Michael Foſcarenius, in quo-

rum

rum vitis, præsertim antiquiorum, exponendis non dubitabat, quin multa prolaturus esset incognita atque curiosa. Ornavit primum operis volumen satis longa Præfatione, in qua persecutus est ætates & gradus illorum omnium, qui res Venetas litteris prodiderunt. Hanc sequitur Sabellici vita latine, ut pote Historici latini, scripta, in qua dum copiam & diligentiam nimis fortasse exquisitam admiror, elegantiam desidero. Jamdiu enim Zenus reliquerat exercitationes latine scribendi (11) ea credo laude contentus, quam ex suavitate Etruscæ linguæ colligebat, quæ tanta erat, ut appareret in eo nativum quemdam leporem esse, non adscitum. Neque mediocriter elaboravit Zenus in notandis ad marginem libri temporibus, quibus res a Sabellico (hoc etiam præstitit reliquis in Historicis) narratæ ceciderunt, cum præpostera, perturbata, ac confusa plurima essent in illius historia. Petri Cardinalis Bembi vitam minime exposuit Zenus, sed expositam a Jo. Casa copiosis

notis illustravit & auxit, ut hanc præponeret historiæ simplici illi quidem & nudæ (Cæsarem enim unum imitatus est) sed puræ inprimis atque illustri, quam Bembus latine conscripsit. Atque ex his constat secundum volumen. Tertium autem habet res a Paruta italice conscriptas gravissimo sane Historico, cui neminem præfero copia præceptorum ad rem publicam gubernandam, cognitione earum rerum, quæ sunt in hominum moribus, civilibus institutis, & in Imperiorum disciplina, & grata varietate, qua res externas cum domesticis ita conjungit, ut illæ his unice servire videantur. Quam de eo exaravit vitam Zenus, dignam quidem tanto viro omnes judicarunt, compositione, ubertate, atque elegantia. In ipso aditu operis narrat ille qua de caussa circiter an. MXCCXVII. non solum Parutarum familia, sed etiam aliæ multæ nobilitate præstantes e Lucensi in Venetam Rempublicam migraverint, quantisque privilegiis decoratæ fuerint, quod artem

fabri-

fabricandi ſerica Venetos docuere. Quanquam id certiſſima monumenta teſtarentur, juſtam tamen querelarum cauſſam cum Zeno ſe habere putavit Petrus Garzonius Senator ampliſſimus (hujus enim familia in illarum numero fuit) quod ea protuliſſet in lucem, quæ ipſe occultari maluiſſet, quaſi aliquid nobilitati ſuæ detraherent. Hujuſmodi querela magnopere contriſtavit Zenum; neque illam mediocriter valuiſſe credo ad abiiciendum conſilium ea perficiendi & vulgandi, quæ de Scriptoribus Venetis ipſe collegerat. Videbat enim ſe non poſſe omnia loqui ad veritatem, quin multorum in offenſionem incurreret (12). Reliquorum Hiſtoricorum, quos ſupra nominavi, vitas minime contexuit Zenus ereptus patriæ eo tempore, quo hæc ab ipſo omnia ſumma expectare videbatur. Jam tum cum cœperunt in ſcenam prodire illius dramata, tanta illico de ipſo ſurrexit fama, ut hæc non Italiæ ſolum, ſed & aliarum regionum, & Germaniæ præſertim fines peragraverit.

Quo

Quo factum est ut ab Anspachii, & Vindelicorum Principibus, nec non a Leopoldo Cæsare valde liberaliter Zenus invitatus fuerit ad Poetæ munus apud ipsos sustinendum. Ne tum ab Italia & a Patria discederet variæ obstiterunt caussæ; illa in primis, quod matrimonii vinculis esset irretitus. Hæc solvit mors Februario mense an. MDCCXV. uxore extincta, ex qua filiam habuit, quæ vix lucem hominum adspexit; sed & alia supererant summæ conjunctionis vincula cum matre & cum liberis, quos ea susceperat ex nobilissimo viro Petro Antonio Cornelio, cui nuptam fuisse supra commemoravimus; itidemque cum fratre & sorore, & cum patria, a qua nova acceperat beneficia præpositus exercendis vectigalibus, quæ ex mercibus mari advectis exiguntur. Multum quidem aberat Zenus, ut ex his vinculis, dulcissimis iis quidem utpote amoris & pietatis, laxari aliquid vellet; sed quo facilius juvare eos posset, qui opis suæ indigebant (13) cessit tandem liberalissimæ invitationi Caroli VI. Cæsa-

ris,

ris, qua ineunte autumno an. MDCCXVIII. Viennam traductus est. Duos circiter menses consumpsit in itinere, cum non longe a Trevisio fractum ei ex casu dextrum crus fuerit. Nec solum in ipsa curatione, sed cum Viennam etiam pervenisset Chirurgi vitio, & itineris agitatione dolores & incommoda multa perpessus est. His malis accessit invidiæ obtrectatio, & tarditas summa, qua omnia pene negotia in aula Cæsaris gerebantur, ob quam nec plane certus poterat esse Zenus de sorte sua, nec pecuniam habere in promptu, qua rebus suis consuleret. Obversabatur ei ante oculos exemplum Leibnitii Germanorum omnium doctissimi, qui magnis promissis invitatus, magnisque precibus impetratus a Borussiæ Rege, duobus & amplius annis Viennæ fuit nullum unquam videns exitum rerum suarum (14). Sed quam falso timeret Zenus similia sibi accidere posse, intellexit statim ac ex vulnere recreatus adire Cæsarem potuit. Hic enim dedit ei singulares voluntatis si-

gni-

gnificationes; & datis quoque muneribus, ſatis oſtendit ſe velle non ſolum quod promiſerat facere, ſed etiam prolixe cumulateque facere. Profecto plurimi ille liberalium artium ſtudia doctoſque homines æſtimabat; neque erat mediocriter in litteris verſatus. Narrabat ſe in prima juventa ſtudium philoſophiæ acrius ultra quam conceſſum Principi videri poſſit, coluiſſe, niſi prudentia Inſtitutoris incenſum & flagrantem animum coercuiſſet: poſtea mitigavit ratio & ætas, retinuitque, quod de Agricola quoque prædicat Tacitus, ex ſapientia modum. Adeo pollebat memoria, ut quæ in pueritia acceperat legeratque, adultus recordaretur; adeoque ardebat cupiditate hunc omnium rerum theſaurum magis magiſque locupletandi, ut libros, de quibus maxime prædicari audiebat, aut legeret per ſe, aut de iis ad ſe referre doctos homines juberet. Næ ille permagno tenebatur deſiderio inſtituendi Viennæ Academiam, quam flos doctorum hominum condecoraret, quæque

Pari-

Parisiensem & Londinensem æmularetur. Hac de re sæpe Cæsar cum Zeno sermones habuit ejus consilia & operam exquirens. Sed quoniam frustra adlaborant Principes in hujsmodi rebus, nisi habeant intelligentes & bene animatos administros (tantum ne florere potuisse Ludovicum XIV. favore in litteras putamus, si Colberto caruisset?) studiis Cæsaris minime felices exitus contigere. Sed non propterea minus ille efferendus est laudibus; & quidem plenæ sunt litteræ Zeni (15) hujusmodi præconiis debitis non tam ingenio Cæsaris, illiusque singulari amori in litteras, quam ejusdem maximis clarissimisque virtutibus. Quam vellem tanti Principis vitam historiæ monumentis illo suo mirabili Etrusce scribendi lepore Zenus consignasset! Et maximum incitamentum illi poterat esse, quod non solum poeta, sed etiam historicus Cæsareus declaratus esset, quodque de eo scripsisset, qui cum res gestas, tum aures atque studium adhibere potuisset. Sed omne ferme tempus

con-

consumere cogebatur Zenus in studio musico, quod utile magis quam gratum illi erat. Paullo postquam Viennam advenerat, in scenam attulit Iphigeniam; nec defuere maledici, qui surreptam, non factam ab illo fuisse dicerent. Hujusmodi maledictis ita respondit Zenus, se quidem transtulisse suum in melodrama ab Euripide & Racinio locos quosdam, cum incidit, ut id apte fieri potuerit, ut ab Homero Ennius, Afranius a Menandro, & Racinius ipse ab Euripide consuevere. Et quidni id liceret, si veteres celebriores poetæ tum etiam bene se mereri de suis civibus judicabantur, quando integras Græcorum fabulas vertebant, ut ad suorum cognitionem divina illa ingenia transferrent? Qui igitur hæc vituperant

Faciunt næ intelligendo, ut nihil intelligant.

Post Iphigeniam dedit Zenus L. Papirium; atque hic si illi cessit perfectione operis, anteivit certe approbatione & plausu spectan-

ctantium; ipſeque Cæſar nihil ſimile ſe unquam vidiſſe audiviſſeque palam profeſſus eſt (16). Huic rei cauſſam præſertim dediſſe putavit Zenus copiam graviſſimarum ſententiarum, quibus quaſi ſtellis ſuum illuſtravit melodrama. Etenim brevi intellexit nihil dulcius eſſe graviſſimo optimoque Principi exemplis grandioribus, orationibuſque ſumptis de vita, quæ aut quid ſit, aut quid eſſe oporteat, doceant; contra vero nihil inſulſius amoribus iis, quos homines arte ſua abutentes in ſcenam invexere, quoſque corrupti depravatique mores retinuerunt: quapropter aliam viam, quam tritam eatenus a ſe ipſo, tenendam ſibi putavit (17). Cum an. MDCCXIX. Maria Joſepha Joſephi I. Cæſaris filia Friderico Auguſto Regio Principi Saxoniæ nupta fuiſſet, has nuptias dramate celebrare juſſus eſt Zenus, in eoque elaborando non tam officio ſuo omniumque expectationi, ſed, quod difficillimum erat, ſibi ipſe ſatisfecit. Appellavit hoc *Sirita*, quæ erat filia Sivaldi Daniæ Re-

gis

gis, de qua narratur præter patris, nullius unquam hominis conſpexiſſe vultum; adeo pudica erat. Adſpexit tandem Ottarum, & cum eo nupſit; ac mirum profecto eſt totius dramatis nodum ex unico oculorum obtutu pendere potuiſſe. Deinceps multa alia melodramata, de quibus ſingulis dicere non eſt neceſſe, quæ non minus diligenter elaborata & tanquam elucubrata attulit. Etenim ſe ſemper ante oculos habere dicebat præceptum, quod Q. Tullius Cicero Marco fratri petenti Conſulatum his verbis dedit: *Quamobrem quoniam ab hac laude proficiſceris, & quidquid es ex hoc es, ita paratus ad dicendum venito, quaſi in ſingulis cauſſis judicium de omni ingenio futurum ſit*. Et quanquam hoc Zeno, cum aliquid accuratius ſcripſiſſet, ſemper fere contigerit, ut nunquam ſcripſiſſe melius putaretur, tamen cum docuit Nitocrim, omnium conſenſu ſic fuit tum judicatum, ceteros a Zeno ſemper omnes, illo autem dramate etiam ipſum

a ſe

a se superatum (18). Non unus erat Zenus Poeta in aula Cæsaris. Erat & eodem gradu Petrus Pariatus homo non solum studiorum similitudine, sed & officiis, usu, & consuetudine jamdiu Zeno conjunctissimus, quem aliquando sibi socium in componendis dramatibus adjunxit, & tum maxime quando angustiæ temporis illum coegerunt. Nam eodem anno duo sæpe dramata facere jussus est; neque hæc tantum, sed etiam illius generis poemata, quæ *Oratorj* nos appellare solemus. Habuit interdum a Cæsare alia etiam mandata poetica, velut extraordinaria pensa, in quibus omnibus magna solebat esse occupatio studiorum suorum. Nihilo tamen minus si incurrebant subcesiva quædam tempora, hæc homo industria singulari perire non patiebatur, multasque Dissertationes tum historicas, tum philologicas contexuit (19). Nec deerat litteratis amicis, illustria ac prope divina bona, quæ multis vigiliis, improbo labore, assidua exercitatione adeptus erat, non apud se

avare continens, ſed ad communem illorum utilitatem liberaliſſime conferens. Et commemorandum mihi in primis videtur quomodo ſe geſſerit adverſus Muratorium, ex quo coniici poteſt Zenum nunquam invidiſſe, ſed faviſſe ſemper alienæ gloriæ. Declaravimus ipſum ſupra innumera fere collegiſſe ad opus illud conficiendum, quod inſcribere meditabatur *Scriptores rerum Italicarum*, ex quo maximam ſibi laudem poterat polliceri. Dolebat ob ſuum Viennam adventum fuiſſe tantum opus interruptum; cujus tamen conficiendi neque deſiderium, neque ſpem depoſuit. Quin immo ex Cæſaris Bibliotheca & Tabulario, in quod penetrare libere poterat, non pauca hauſerat ad illud ipſum ornandum. At ubi Zenus intellexit Muratorium eandem cogitationem curamque ſuſcepiſſe, non queſtus cum illo eſt, quaſi in alienas poſſeſſiones invaſiſſet, ſed ipſum & conſilio, & opera, & quibus aliis potuit rebus, ad incœpta perficienda adjuvit. Non pauca etiam contulit, ipſo hortante Cæſare,

in

in opus Ephemeridum Litteratorum Italiæ, cujus curam Petri Catharini fratris sui cariſſimi ingenio ac diligentiæ præſertim commiſerat. Et ſi qua fuerunt alia hujuſmodi mandata, ſicuti ea quæ ſpectabant impreſſionem Scriptorum rerum Venetarum, narrationemque vitarum Maurocenii, Nanii, & Foſcarenii, in iis exequendis plurimum eundem fratrem adjuvit. Nihil vero, quod eſſet alicujus momenti, conſignabat litteris Zenus, de quo Cæſar in familiariſſimis, quos cum eo habebat, ſermonibus, doceri minime vellet. Sic enim ſuppeditari ſibi dicebat ubi animus ex aulæ ſtrepitu reficeretur, & aures rebus publicis defeſſæ conquieſcerent. Quod delectationis genus utinam omnes guſtarent Principes. Nam voluptates, quibus multi eorum tenentur, neque temporum ſunt, neque ætatum omnium, neque locorum, & ſæpe creant offenſionem atque faſtidium. Quare merito dicebat Scipio, quod ſecum Ennium haberet, ſe multorum triumphis anteponere. Quo vero

vincula, quæ Viennæ Zenum retinere debuissent, arctiora faceret Cæsar, illum succedere optasset in locum Jo. Benedicti Gentilotti, qui erat a Bibliotheca, aut illius, qui curam habebat antiquorum numismatum ceterorumque vetustatis monumentorum. Et ipse noverat optime Bibliothecam, & Museum, quod utriusque frequentandi data ei raro sane exemplo licentia ac libertas fuerat; & bene etiam de utroque meritus erat, cum donasset Cæsari rara quædam monumenta, cumque illius consilio factum esset, ut ab eodem millibus florenorum LXXX. emeretur Bibliotheca Hoendorfiana Batavarum fere omnium celeberrima. Nihilo tamen minus utrumque munus recusavit, sperans se aliquando ad suos Italos liberum, tanquam emeritis stipendiis Musarum, posse remeare. Semel iterumque & tertio revisit suos: postremo valetudinem, ingravescentem ætatem, aliaque incommoda excusans plane deserendi Viennam, & aulam a Cæsare veniam impetravit. Invitissime ille a se tantum

tum virum dimisit, quo neminem videbatur habere cariorem: ægre & dolenter Zenus, se ab eo Principe disjunxit, quo neminem sibi amiciorem, si id loqui de Principibus fas est, & beneficentiorem sibi fuisse dicebat (20): sed vicit suorum patriæque charitas, rediitque Venetias XI. anno postquam inde primum discesserat. Plura secum detulit munera (*& præconia Principum*, ut ait Poeta ille Siculus, *esse debent claræ munera liberalitatis*) quæ non tam a Cæsare habuerat, quam a Willelmina Amalia Josephi I. uxore, a qua se aliquando adhibitum esse narrabat ad convertenda e latino in italicum sermonem præter alia quædam, scripta nescio quæ S. Augustini. Illud vero maximum beneficium fuit, quod annua merces quatuor mille florenorum, quæ Zeno, cum primum Viennam venit, constituta fuerat, absenti etiam solveretur ea conditione, ut per annos singulos sacrum drama conficeret, quod cani ad harmoniam mos erat feria VI. majoris Hebdomadæ in

ſacello Cæſareo . Horum dramatum xv. ipſe in vulgus edidit an. MDCCXXXV. dedicavitque Carolo & Eliſabethæ Auguſtis conjugibus. Poſt hæc alia duo componere juſſus eſt, quæ minime in vulgus prodiere. Verum ex quo alacritas illa, qua ſtudia poetica foventur, deferbuit in Zeno, animumque ejus graviorum & ſeneſcente ætate digniorum artium tractatio ſibi vindicavit, invite ſe ad Muſas referebat; quapropter hujusmodi dramatum conſcribendorum curam Petro Metaſtaſio, qui ſuum in locum ſucceſſit, datam fuiſſe non modo facile paſſus eſt, ſed etiam vehementer gaviſus. Inter hæc autem dramata primum locum ſe dare dicebat illi, cui nomen *la Geruſalemme*, quodque ad Chriſti pedes cruci ſuffixi jacens magna ex parte confecit. Nec miror hominem ſingulari in Chriſtum Jeſum pietate potuiſſe tale argumentum & tenere & cum ſenſu tractare. De reliquo ſatis ſe contentum eſſe dicebat Zenus ſacris his dramatibus, cum e contrario memoriam extingui optaret ceterorum,

quæ

quæ in theatrum adduxerat. Quapropter nunquam a se impetrare potuit ut hæc corrigeret, cujus tamen rei faciendæ, eademque simul juncta Venetis typis imprimendi Gasparo Gozio homini sane intelligenti potestatem fecit (21). Sed quamvis ita de suis melodramatibus judicaret Zenus, ut abortus potius quam partus illa esse diceret, ægre tamen tulit in ea fuisse sententia Muratorium, Fontaninium, aliosque, ut vix aut omnino fieri non posse crederent aliquid tolerabile in hoc poesis genere (22). Profecto quæ habemus tum Zeni tum Metastasii dramata satis illos convincunt erroris; nec mediocris & obscura laus fuit Zeni, primum omnium exemplo suo monstrasse viam, in quam diu longoque intervallo errantes homines adduci possent. Argumenta apte eligebat, feliciterque explicabat; illo suo singulari judicio in tota dramatis œconomia videbat quid deceret, quid non; non mimicos & scurriles jocos, ut omnes fere ante ipsum, neque res magis a veritate ab-

horrentes, ſed aptas graveſque conſectabatur ſententias, & a vero, aut a vero ſimili nunquam diſcedebat. Plurimum ſane concedit Metaſtaſio poeticis ornamentis, lepore, venuſtate, & ſenſu, ac arte quadam, quibus ille & commovet, & totos ad ſe rapit auditores ſuos; nihilo tamen minus habet & ſuas virtutes Zenus, & illam præſertim, qua novit omnia momento quodam atque judicio diſpenſare atque diſponere. Præter hæc, qui de his duobus poetis judicare volunt, reminiſci debent neminem Zeno, hunc vero Metaſtaſio fuiſſe ducem. Non ſine cauſſa aliquando exquiſivi ab ipſo Metaſtaſio, quid de Zeni dramatibus ſentiret, cujus ſapientiſſimum elegantiſſimumque reſponſum infra exſcribere juvabit (23). Nimis fortaſſe multa de poeticis Zeni ſcriptis. Reliqua nunc perſequemur, in quibus idem elaboravit beneficio Cæſaris Auguſtæque Filiæ fruens in patria otio cum dignitate, quod maxime eſſe optabile bonis & beatis viris merito dixit Cicero. Vitam Henrici

rici Catharini Davilæ italice & copiosissime exposuit, edidítque cum illius historia de bellis civilibus Galliæ an. MDCCXXXIII. Vitam etiam alterius historici Francisci Guiccardinii a Dominico Maria Mannio conscriptam notis auxit, atque illustravit. Collegit quam plurima ad Mutii Justinopolitani vitam & scripta pertinentia, quæ litteris mandare meditabatur. Id vero cum præstare variis impeditus difficultatibus minime potuisset, collecta a se se Ioanni Rinaldo Carlio liberaliter concessit. De Manutiis omnium maximis typographorum non pauca sane curiosa, nec antea bene cognita in lucem protulit: majora etiam protulisset de libris præsertim ab ipsis impressis ab an. MCCCCLXXXXV. ad annum usque MDXCVII. quo tempore mortem obivit Aldus junior, & de universa illorum typographii historia, si aut diutius vixisset, aut surrepta ei minime fuissent adversaria, in quibus minutissima quæque ad hanc rem spectantia descripserat. Desperans se posse perficere ob provectam ætatem vale-

letudinisque incommoda opus multi sane laboris multarumque vigiliarum de Scriptoribus Litteratisque Venetis, quod priusquam Viennam concederet, instituerat, innumera pene a se diligentissime collecta & prudentissime observata cessit Ioanni de Augustinis erudito viro e Franciscana familia, qui toto animo & studio omni in idem opus se dicebat incumbere. Eadem & majora etiam postea suppeditavit Marco Foscarenio maximo & spectatissimo viro, qui idem sic tractavit argumentum, ut etiamsi multi cum ipso contendissent, omnes tamen non solum rerum copia, sed etiam judicio, & dicendi arte facile superasset. Sæpe ipse in suo libro mentionem Zeni facere debuit, & nunquam fere fecit sine præclaro judicii sui testimonio (24). Et sane in patriis monumentis perquirendis, quid ejus diligentiam subterfugit, aut satietati superfuit? Non parum adjuvit Nicolaum Colletum, & Antonium Fridericum Seghezzium, cum alter Ughellii opus de Italis Episcopis, alter histo-

ſtoriam & commentaria Creſcimbenii de Italica poeſi corrigenda illuſtrandaque ſuſcepiſſet. Sed non paucos Creſcimbenii errores antea etiam emendaverat Zenus, cum id opportune facere potuiſſet in prioribus Ephemeridum Litteratorum Italiæ voluminibus. Hæc vero amice accepiſſe Creſcimbenium ex eo coniici poteſt, quod multa a ſe prolata in hiſtoria, in commentariis, quæ illam ſubſecuta ſunt, poſtea retractavit, emendavitque. Sed emendationes, retractationes, & corollaria huc & illuc ſparſa adeo perturbabant & confundebant omnia, ut vix ullum amplius uſum haberet pars illa, quæ ad hiſtoriam ſpectabat, & nunquam ſatis clare apparerent contenta in ipſis commentariis. Bene igitur ac ſapienter factum eſt a doctis viris, qui opus ex inordinato in ordinem adduxerunt, ſingulæ perſonæ & tractationi, quæ ſua eſſent, concedentes, & horum multa neceſſariis notis illuſtrantes. Eodem tempore, quo hæc gerebat Zenus, laborabat quoque ne a ſcribendis Litteratorum,

rum, quas ephemeridas vocavimus, faſtis ulla fieret intermiſſio: cumque unum ex omnibus ad hoc opus maxime aptum cognoviſſet fratrem ſuum, maximam oneris partem in illum tranſtulerat. Quare minime eſt mirandum ſi, hoc e vivis an. MDCCXXXII. erepto, impeditoque tum Apoſtolo ætate, morbis, aliiſque occupationibus, idem opus paullo poſt plane ceſſaverit. Non quæro quid alii poſtea geſſerint, ne Italiæ ephemerides ſuæ deeſſent: nam propoſitum nobis tantummodo eſt de rebus a Zeno geſtis narrare (25). Ceterum hic graviter adeo tulit mortem fratris amicitia omnique voluntate ſententiaque ſibi conjunctiſſimi, ut nulla res ejus ſanare vulnus potuerit; increpantibuſque nimium dolorem illa Auguſtini ſolebat reſpondere: *quoniam itaque deſerebar tam magno ejus ſolatio, ſauciabatur anima mea, & quaſi dilaniabatur vita, quæ una facta erat ex mea & illius* (26). Neque multo poſt matrem quoque amiſit; & plenæ ſunt ejus epiſtolæ querimoniarum ob mortem illius, & ami-

corum; eæque ſatis declarant ſenſus humaniſſimos tenerrimoſque ei naturam tribuiſſe. Quod nolim a duris quibuſdam hominibus, tanquam effœminatum, accuſari. Etenim carere ſenſu doloris miſerius eſſe arbitror, quam immoderate dolere. Magnum tamen ei in his doloribus afferebat ſolatium ſocietas Andreæ Cornelii fratris ſui, apud quem vivebat, & quo cum omnia communia habebat; & ut aliqua ratione compenſaret jacturam, quam ſtudia ſua in morte fratris fecerant, horum ſocium & adjutorem ſibi adſcivit Ioannem Antonium Verdanium hominem quidem optimis artibus erudítiſſimum. Sed eo præſertim uſus eſt in conficiendis indicibus Bibliothecæ & Muſei ſui, quorum utrumque multorum ſane erat nummorum, & ſuperbiſſimo delectu collectum, adeo ut rem gratam & utilem harum rerum amatoribus ſe facturum Zenus putaverit, ſi eoſdem indices in lucem ederet. Nihil dum allatum a nobis eſt, ex quo intelligi potuerit fuiſſe in Zeno inſatiabilem quam-

dam cupiditatem colligendi præstantiora veterum Græcorum Romanorumque numismata; & ipsum in veris a falsis distinguendis, iisdemque explicandis oculos eruditissimos habuisse. Cœpit anno MDCCV. magis obvia Imperatorum numismata veluti per jocum emere; ex his desiderium haud vulgaria & communia colligendi; postremo tanta cupiditas præstantiorum & rariorum, ut cum non semper haberet in promptu pecuniam ad illa comparanda, magis illum pœniteret cœpisse, quam liceret desinere. Eo tempore, quo Viennæ fuit, quod magis abundaret, maximam Musei sui partem acquisivit, sæpe etiam his de rebus mandata dans absentibus amicis suis. Fuit profecto ad rariora acquirenda numismata summæ diligentiæ maxima adjuncta fortuna, gestiebatque lætitia Zenus quod posset cum divitioribus hac in re contendere. Neque hæc ad inanem ostentationem. Intelligebat enim quantum historiam juvaret numismatum studium, in quo ut ipse, experientia & lectione ducibus, longissime procede-

ret,

ret, utque ejusdem amorem in Italis suis accenderet, nulli parcebat industriæ. Non est tamen celandum, quamvis in hujusmodi rebus peritissime ac callidissime versaretur Zenus, ipsum aliquando in errorem raptum fuisse, cum argenteum Hadriani numisma maximi, ut vocant, moduli, cujus compotem fecit amicum suum Jo. Franciscum Baldinium ad augendum opus Vailantii *de numismatibus Imperatorum Romanorum præstantioribus*, ad Augustum pertinere putaverit. At gratulor Zeno, qui per quam raro offendebat in iis rebus, de quibus affirmabat, aliquando tamen lapsum fuisse, ne hæc quoque laus ei deesset, ingenue semper confessum esse errata sua, sicuti decet viros bonos & simplicis veritatis amicos (27). Dolendum vero, si sparsa quædam in ejus familiaribus epistolis exceperis, nihil mandasse litteris posteritatique earum rerum, quas observaverat in vestigandis antiquitatis monumentis; quod ne faceret obstitit præsertim singularis illius modestia (28). Reperta inter ejusdem scripta fuit de Gente

Ju-

julia dissertatio, sed hæc nulla ex parte perfecta. Acerrima & fortissima cupiditas, qua tenebatur Zenus, preclara numismata parandi, paullulum imminuta ac debilitata fuit temporibus illis difficillimis [illegible], quibus ob mortem Cæsaris crudeli bello tota ardebat Germania: ac [illegible], quo rebus suis providere melius posset, consilium cœpit vendendi grandi [illegible] pecunia Museum suum [illegible] viro [illegible] quod nunc quidem extat apud Canonicos S. Floriani in Austria Superiore. [illegible] Zeno [illegible] & [illegible] omnibus [illegible] & [illegible]

amicitia. At Fontaninius cujus aures nunquam præceptis & monitis amicorum facile patuerunt, ex una parte ægre tulit se potuisse de infinitis rebus a Zeno admoneri, ex altera gavisus est habere se, quo melius posset existimationi ac gloriæ suæ consulere, quotiescunque ejusdem operis secundo imprimendi consilium suscepisset. Id ita præstitit extrema ætate, ut multa, sed non omnia emendaverit; quodque mirabilius est nunquam in toto opere Zeni mentionem fecit, quasi hominis vulgaris, & quasi nihil ab eo subsidii accepisset. Doluit id Zenus; & sane justam habuit dolendi caussam. Nullam enim litteræ aliam mercedem laborum desiderare videntur præter hanc laudis & gloriæ, qua quidem detracta, quid est quod in hoc tam exiguo vitæ curriculo, & tam brevi tantis nos in laboribus exerceamus? Sed Zenus magis etiam quam suam dolebat vicem plurium amicorum suorum, quos male habuerat Fontaninius. Quapropter æquitati, veritatique, & Italiæ quoque

gloriæ se servire existimavit, si illud opus non augendum perficiendumque, quod infinitum & immensum fuisset, sed emendandum, & interdum etiam illustrandum suscepisset. Et sane non exiguus erat campus, in quo mirabilis Zeni prudentia atque eruditio excurreret. Nam frequenter Fontaninius temere credit, & ex levi conjectura fallacissime judicat; nunquam perpendit aliena judicia, quando utitur suis; in his ipsis non semper sibi constat; sæpe negligit aptam & accommodatam rerum dispositionem; & sæpissime res maximi momenti oscitanter prætermittens, eas, quæ sunt minimi, fastidiose repetit. Cum vero de libris refert, frequentissime labitur, mutans & confundens eorum inscriptiones, nomina & cognomina typographorum, tempora, loca, & formas, quibus fuerunt impressi, & errans interdum in ipsorum Scriptorum nominibus, eorum patriis, & temporibus, quibus vixere, recensendis. His aliisque malis ut provideret, quasi suo jure sibi sumpsit Zenus. Nemo enim illo fuit un-

quam

quam inſtructior in ea parte litterariæ hiſtoriæ, quæ ad Italos per quinque & amplius ſæcula pertinet, cujuſque parens merito a nonnullis nominatur. Quo inſtrumento, judicio acri & certo, magna, ut diximus, librorum copia, ea diligentia, ut nihil affirmaret quod ipſe per ſe non vidiſſet, atque lepore, feſtivitate ac ſale ſcribendi ſummo tales potuit Zenus animadverſiones illuſtrationeſque in Fontaninii *Bibliothecam* facere, quales a nemine fieri potuiſſe arbitror. Atque hæ virtutes magis etiam comparent ob argumenti genus in eo opere, quod omnium Zeni eſt maximum, quodque inſcribitur *Diſſertazioni Voſſiane*. Scripſit Voſſius volumina duo de Græcis Latiniſque Hiſtoricis, ſed ita ſcripſit, ut imitari eos voluiſſe videatur, qui in uberrima ſegete non ſolum ſtipulas excidendas, ſed etiam ſpicas ipſas aliis colligendas relinquunt. Sed præſertim Scriptorem diligentia defecit in ea parte, quæ ſpectat ad Italiam, cujus amor facile a Zeno impetravit, ut ipſum

ſuppleret emendaretque, ab eo tempore initium ſumens, quo Franciſci Petrarchæ opera in primis factum eſt, ut litteræ tanquam ad adſpiciendam lucem revocarentur. Inchoavit opus an. MDCCXII. idque in Diſſertationes diſtribuere conſilium cœpit, ut iis modo unum, modo alterum Ephemeridum Litteratorum Italiæ volumen ornare poſſet. Tali modo Diſſertationes XV. in vulgus edidit Zenus, quæ centum Hiſtoricorum vitas illuſtrant; quas qui leget facile exiſtimabit adeo diligenter illum habuiſſe cognitam antiquitatem, ut eam fere totam in iis expoſuerit. Quare non eſt mirandum ſi ſummo plauſu exceptæ fuerint: nec quiſquam poſtea exſtitit, cui neceſſe fuerit de iiſdem Hiſtoricis ſcribere, qui Zeni Diſſertationes tanquam oraculum minime conſuluerit (29). Nec defuere etiam, qui integras vitas ſuos in libros retulerint, quod ſæpiſſime fecit Joannes Petrus Niceronius, & non raro Joannes Fabricius, hic in Latinum, ille in Gallicum ſermonem ipſas convertens. Tantam vero Nicero-

ronius fidem habendam Zeno putabat, ut notare prætermiſerit fontes, unde ille res a ſe prolatas hauſiſſe dicebat, qua de re a Menchenio in eo libro, quem de vita Angeli Politiani ſcripſit, reprehenſus eſt. Poterat quidem Zenus falli ut humanus, quod a ſe alienum eſſe, tantum aberat ut putaret, ut poſtquam ſe a *Bibliothecâ* Fontaninii expedivit, emendandas, augendas, ac pene totas reficiendas ſuſceperit Diſſertationes ſuas Voſſianas. Mirum id non ſolum, ſed novam etiam diſſertationem, quæ eſt de vitis Marini Barletii, & Marini Becichemi facere potuiſſe Zenum, quando eum diuturnis febribus, hæmorrhagia, inſomniis, & ſtomachi doloribus afflictum corporis vires defecerant. Sed mens priſtinum conſervabat robur. Cumque ſecus narraſſet Jo. Lamius de Zeno mentionem faciens ſuis in Ephemeridibus, dicitur hic recitaſſe amicis ſuis, quam proxime ſcripſerat, diſſertationem, quæſiſſeque, imitatus Sophoclis exemplum, num illud opus deſipientis ſenis eſſet. Iis malis acceſſit etiam

apoplexis, ob quam oculorum pene lumine, & finiftri lateris ufu, & fcribendi facultate plane privatus fuit. Nihilo tamen minus non prorfus obmutuit fuis in ftudiis, cum ea dictaffet Antonio Valfechio, quæ præfatus eft de iifdem Differtationibus. In his non pauca de fe, quod fenili ætati conceditur. Ut apud Homerum fæpiffime Neftor de virtutibus fuis prædicat! Nec erat Zeno verendum, ne vera de fe prædicans nimis videretur aut infolens, aut loquax. Etenim ex ejus lingua (ficuti de Neftore quoque teftatus eft Homerus) melle dulcior fluebat oratio, quod ex iis, quæ de ipfo narravit expofuitque Marcus Forcellinius in præfatione libri de *Bibliotheca Italicæ Eloquentiæ*, præfertim intelligi poteft. Cum vero multi admirarentur tum ceterarum rerum illius excellentem perfectamque fapientiam, tum vel maxime fortitudinem ac conftantiam in ferendis acerbioribus malis, folebat ridens illa Ciceronis refpondere: *neceffe fuit effe aliquod extremum, & tanquam in arbo-*

borum baccis, terræque frugibus, maturitate tempestiva, quasi vietum & caducum, quod ferendum est molliter sapienti. Sed hujusmodi fructus, mirificos illos quidem, afferebat conscientia bene actæ vitæ, multorumque benefactorum jucundissima recordatio. Quis enim illo fuit castior, quis integrior, quis ad misericordiam liberalitatemque propensior, quis ad omnem humanitatem magis accommodatus? Adfuit illi semper purior religio, quam sic coluit, ut vel rigidissimis satisfaceret. Cum rebus divinis operam daret lapidem, non hominem dixisses; adeo in cœlestium rerum meditatione erat defixus. Cum vero consuesceret haud exiguam diei partem insumere in divinis recolendis mysteriis, in sacris evolvendis libris, in effundendis ad Deum precibus, eo tempore quo hæc faciebat illius janua, quæ quotidie frequentia illustriorum hominum celebrabatur, quæ semper multorum postulationibus patebat, omnibus occludebatur. In B. V. singulariter pius semel iterumque senex & æger

Lauretanam Domum invisit. Postremo ad veram beatitudinem, quam semper quaesivit, unice adspirans, libros, amores ac delicias suas, quos testamento reliquerat religiosis Dominicanae familiae hominibus, antequam moreretur ipse concessit, illa usurpans verba: *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te*. (30). Mendacium neque dicebat, neque pati poterat; cumque abesset etiam a simulatione, quae tollit judicium veri atque adulterat, rogatus sententiam suam de aliorum scriptis, ita reprehendebat ea, quae vituperanda duceret, ut nullum offensioni locum relinqueret (31). Sine arrogantia gravem, & sine segnitia verecundum non facile intellexisses utrum magis vererentur, an amarent amici, quos multos habuit, quosque sic coluit, ut appareret nihil ab iis sibi esse velle sejunctum. Hoc quoque sit Zeni bonitatis exemplum, quod eorum, inter quos non solum esset laudis aemulatio, sed etiam obtrectatio, tanta inter-

ter-

tercederet, quantam incidit inter Fontaninium, Muratorium, & Maffejum, usum benevolentiamque semper retinuerit. Pacis vero amantissimus nulli parcebat industriæ, ut non solum odia, sed etiam querelæ tollerentur; & illo arbitro & consiliario, multæ porro dissensiones & controversiæ extinctæ sunt. Sic se gerendo, & neminem lædens, facillimeque obliviscens injurias, potuit gloriari multos se amicos, neminem vero inimicum habere. Tanta vero lenitas & mansuetudo Zeni eo admirabilior esse debet, quod natura erat propensus ad iram; sed ipse vel a prima ætate nimios animi motus, & rationi non obtemperantes frænare didicerat. Erunt fortasse qui existimabunt hoc Zeni elogium non plane congruere cum iis, quæ scripsit ad emendandam Fontaninii *Bibliothecam*. Ii mirari potius debent tanta fuisse Fontaninium petulantia, atque negligentia, ut aliquid salis ab homine ingenii dulcissimi trahere potuerit. Præter quam quod minime in vita erat Fontaninius

nius, quando illa ſcripſit Zenus; nec vulganda permiſit niſi conſilio illius, quem a confeſſionibus adhibebat, qui judicavit ipſam per ſe veritatem acriter ſæpe a Fontaninio læſam, ſi cauſam ſuam defendere debuiſſet, non lenius defenſuram. Quamquam gloria, ampliſſimiſque honoribus abundaret Zenus, modeſtiam tamen ſemper ſervavit; & gratia, quæ illi fuit maxima cum Cæſare, cum Eugenio Principe Sabaudico, aliiſque potentioribus, non ad oſtentationem, propriamque augendam fortunam, ſed ad aliorum uſus eſt ſubſidium. Tanta autem cum eſſet modeſtia, nunquam ſenſit invidiæ morſus, & nihil minus verebatur, quemadmodum de Scipione prædicavit Livius, quam ne quis obſtaret gloriæ ſuæ. Quare minime eſt mirandum ſi vix ferre poterat quoſdam in litteratorum Republica aut principatum, aut perpetuam dictaturam appetentes. Erat & aliud genus hominum, quos vitabat, & cum videbat, tanquam auſpicium malum, deteſtabatur. *Hi autem* erant, qui *blaſphemant*

quæ-

quæcumqae quidem ignorant : quæcumque autem naturaliter, tanquam muta animalia, norunt, in his corrumpuntur. Difficile eſt omnia perſequi, & non neceſſaria. Illud unum intelligi volumus fuiſſe Zenum hominem ſingulari virtute & doctrina. Tali modo cum annos unum & octoginta & menſes XI. compleſſet obiit Venetiis, ſepultuſque in Æde Sanctiſſimi Roſarii cum funeris pompa (32). Laudatus etiam fuit Italica & Latina oratione, quarum alteram Antonius Valſechius, alteram Hyacinthus Menegattius, uterque Ordinis Prædicatorum, habuit. Quod ſi pro meritis gratiæ referri deberent Zeno, aut hoc tempora ipſa paterentur, jam in celeberrimo aliquo Urbis loco, quemadmodum olim Delphis Georgiæ illi Leontino, inſigne ejus virtutis monumentum eſſet excitatum. Verum intereunt ſtatuæ, ut ait Cicero, tempeſtate, vi, vetuſtate: laudes autem virorum bene de republica meritorum poſteritati, quaſi per manus traditæ, vix conſeneſcunt.

(1) De

(1) De hoc opere hæc habet Zenus in Epistola ad Lud. Muratorium. *Sarà una buona Raccolta di Autori Latini, che hanno scritte le cose della nostra Italia. Il primo tomo (poichè sarà in molti divisa) abbraccerà gli Storici particolari della Lombardia sì superiore, come inferiore, a' quali porrò innanzi alcuna Cronaca universale, sempre d' Autore Italiano. Del mio vi saranno prefazioni universali e particolari, annotazioni marginali, indici copiosi, ed appendici di stromenti autentici antichi, o di pistole Istoriche, che illustrino qualche fatto, non però mai stampate, oltre alle notizie di ciascuno Scrittore, e la contezza particolare del ms. e delle persone che me ne avranno favorito.* Epist. 34. Vol. 1. Ex hac epistola, sicuti ex 22. intelligi poterit quæ præsertim scripta priori operis conficiendo volumini destinaverit Zenus.

(2) *Quanto alla mia Storia, ella non è tale, che abbia potuto prevenirla il Sig. Ab. Crescimbeni con quella sua pubblicata, e più volte da me riletta. In cotesta non v' è una vigesima parte di ciò che si racchiuderà nella mia, ed il metodo n' è totalmente diverso, come pure il disegno. Io m' affatico di stendere le vite ex professo con la notizia accurata delle lor opere, con l' idea del loro stile, e col giudizio, che in ogni tempo ne hanno dato i critici, e i letterati. Abbraccerà due mila in circa Scrittori, principiando dal fine del secolo* XII *in cui la nostra Poesia ha avuto un assai fiacco principio, insino alla fine di questo, in cui siamo. Dò notizia inoltre de' mss. e del luogo ove si conservano.* Hæc' Zenus in Epist. ad Muratorium quæ est 20. vol. 1. vid. etiam epist 34. & 69.

(3) Hæc Zenus in Epistola ad Magliabechium. *Premetto alla mia Storia due lunghe e non inutili Dissertazioni. Nella prima con una manie-*

ra

ra non più praticata, con ordine di tempi fo vedere come si corrompesse la Latina, e come ne nascesse la nostra favella. Dò le ragioni per le quali solo dopo più e più secoli, che ella era in uso presso del volgo, onde fu detta volgare, si sieno trovati Scrittori, che abbiano principiato ad illustrarla. Passo poi al suo innalzamento nel XIV. *secolo, ed al suo abbassamento nel* XV., *sino a tanto che nel seguente ridotta da valent' uomini sott' a più certe regole e più ordinate, rinverdì più bella che mai con sicurezza di non poter ricadere, almeno sì agevolmente. Nella seconda Dissertazione mostro l' origine della Rima nelle nostre Poesie, unendo insieme quelle due contrarie opinioni, una delle quali intendo darne a' Latini, e l' altra a' Provenzali la gloria. Quindi scendo alle specie della Poesia, e di tutte ne assegno il principio con maniera assai diversa da quanti sin ora l' hanno trattate:* Epist. 12.

(4) Epist. 29.

(5) Pag. 175. *della Letteratura Veneziana.*

(6) Vid. epist. 12. in fin.

(7) Hæc scripsit Zenus ad Philippum a Turre in epist. 62. *Desidero comunicarle un mio disegno affine di averne il suo purgato giudizio. Ho poste insieme molte mie osservazioni sù più di D. codici manoscritti da me esaminati. Vorrei pubblicarle di centuria in centuria, affinchè i volumi riescano maneggevoli; ed in fine d' ogni centuria penso, per dar più credito e più curiosità all' opera, metterci qualch' opera inedita ora di storia, ora di poesia, ora d' altro, secondo che giudicherò più spediente. Mi dà alquanto di fastidio il titolo. Aveva pensato di chiamarla la libreria manoscritta, centuria prima, seconda ec. ma non mi trovo contento. Lo vorrei più espressivo, e però ricorro a chi più di me ha pratica e intelligenza.* Vidend. etiam Epist. 64.

(8) *La*

(8) *La Galleria di Minerva*, sic Zenus in epistola ad Antonium Franciscum Marmium, *non ha più credito, ed è piuttosto un guazzabuglio mal composto, che una ben condita vivanda: disgusta il palato e fa nausea, comecchè di quando in quando vi entri qualche cosarella che solletichi il gusto*. Epist. 92.

(9) Epist. 183.

(10) Appellat Zenus *Equivoco d' apparenza* sequens auctoritatem Jacobi Mazzonii.

(11) Hæc Zenus ad Salvinum Salvinium epist. 316. *Il primo Tomo contiene le Deche del Sabellico. Io vi ho fatto una prefazione istorica Italiana, dove rendo conto di tutti gli Storici pubblici Veneziani sì impressi, sì manoscritti. V' ho pure aggiunta una vita di M. A. Sabellico assai copiosa, scritta latinamente, come meglio ho saputo, essendo molto tempo che in tal lingua non mi esercito punto ..... Ho cercato inoltre di illustrare la cronologia confusissima di detto Istorico col porvi gli anni nel margine, il che mi è costata non poca difficoltà e fatica. Lo stesso si farà susseguentemente nel Bembo, e negli altri.*

(12) In epistola ad Petrum Cannetum. *Io parlo a lungo di questo grande Scrittore* (*di Daniel Barbaro*) *il quale fu letteratissimo, e amatore e protettore di tutti i letterati del tempo suo, nella mia opera de' Veneziani letterati, la quale non so se mai potrà uscire alla luce; poichè come in essa intendo di tesser non gli Elogj, ma le vite de' soggetti dotti della mia patria, temo che la censura sia per dar disgusto a molti, e difficilmente mi si lasci correr la stampa di molti luoghi, che per altro sarebbono il meglio del libro*. Epist. 190.

(13) *Dovendo io trasferirmi al servigio di S. M. Cesarea e Cattolica mi resta in patria il peso di mantener casa, e di provvedere di quan-*

to

to bisogna una madre vecchia settuagenaria, e insieme una sorella già maritata, e un' altra uterina ancor nubile, col restante della famiglia. Il loro mantenimento è stato finora mia industria. La patria mi ha dato carichi: lo studio mi ha dati proventi. Io debbo con la partenza abbandonar tutto; ma sempre mi riman l' obbligo del loro sostentamento. Tener casa in Venezia mi è di necessità sì per riguardo di chi vi dee rimanere, sì per dovervi lasciare, il che non mi dà picciolo affanno, sei mila e più libri con sommo studio e dispendio da me raccolti, che come sono il mio mobile più prezioso, così anche sono il mio oggetto più caro. Epist. 311.

(14) *Io mi trovo, come vi dissi afflittissimo. Il tempo che giova a mitigar tutti i mali, nel mio caso gli accresce. Ho avanti gli occhi un pessimo esempio, perchè non molto lontano. Si fece ogni sforzo da chi presiede per avere al suo servigio il Leibnizio, uno de' più dotti Uomini della Germania, e forse il più dotto, che al suo tempo vivesse. A grandi stenti fu conceduto dal Re di Prussia. Fu in Vienna, e ci stette più di due anni, e ne partì disperato senz' aver ottenuta cosa alcuna di quanto gli era stato promesso. Quanto più lo sapevan dotto, tanto più i ministri lo avevano sospetto: ne avevano della stima, ma in tutto lo contrariavano. Se non avesse avuto del suo sarebbe morto di disagio. Io che nulla ho del mio, che cosa dovrò sperarne, e come soffrirne gl' incomodi della dilazione? Ho questo solo vantaggio sopra l' altro, cioè il saper meno di lui.* Epist. 18. Vol. 2.

(15) Ex multis unam seligemus, in qua hæc habet. *Non è poi capace una lettera di contenere le lodi del mio Monarca. Quel suo gran core ornato d' ogni virtù non si finisce mai di conoscere, nè conosciuto mai si finisce di ammi-*

rare

rare e di amare. Un giorno gliene formerò un ritratto più somigliante, che io possa, senza timore che v' entri l' adulazione, dove la verità è sì evidente. Io ho l' onor d' essere bene spesso ai suoi piedi, e di godere da solo a solo le ore intere de' suoi saggi raggionamenti. Quì le dirò solamente, che in materia letteraria egli penetra a fondo, e la sua memoria è così feconda, che più volte me ne sono stupito; e fra l' altre sovviemmi, che un giorno essendo entrati a discorrere della filosofia degli Stoici, me ne espose i vantaggi e i difetti sopra le altre Sette degli Etnici, recandone le prove con le precise parole di Epitetto e di Seneca, che stimai che di fresco avesse studiato quegli autori espressamente, quando egli m' attestò esser più di 14. anni, che per mano non gli aveva presi. Oltre alla sua lingua naturale parla a perfezione la Latina, la Italiana, la Francese, la Castigliana, e la Catalana; e se il suo Impero goderà ferma pace, avranno in lui un Augusto protettore le scienze, e le buone arti. Epist. 136. Vol. 11.

(16) Epist. 61. Vol. 11.

(17) Hæc scripsit Zenus ad ipsum Cæsarem in epistola, qua ei dedicavit librum *delle Poesie sacre*. *E quanto ai drammi ben tosto m' avvidi, che alla gravità del vostro costume, e della dignità del vostro carattere nulla era più disadatto e contrario che il far comparire sulle vostre scene quel comico ed effemminato, che introdotto dall' abuso dell' arte, e sostenuto dalla scostumatezza del secolo, i personaggi o per grado più eminenti o per fama giù celebri travisava e sfigurava in maniera, che tutt' altro sembravano che quali erano stati, e quai dovevano anche finti rassomigliare*. Et paullo post. *Dovunque poi nel racconto della illustre vita* (illustrium Principum & Heroum) *m' abbattea ad osservare*

o ma-

o maturità di consiglio ne' dubbj affari, o magnanimità di perdono nelle offese sofferte, o moderazione ne' tempi prosperi, o fortezza ne' casi avversi; dovunque io trovava memorabili esempli o di costante amicizia, o di amor conjugale, o di man forte a sollievo degli innocenti, o di cuor generoso a ristoro de' miserabili; dovunque in fine mi si affacciavano atti di beneficenza, di fortezza, di temperanza o di altre virtù, tanto più commendate ne' Principi, quanto più necessarie, io tutto esponendo e ingrandendo altresì ne' miei versi, ne concepiva ogni volta un interno compiacimento, non per l'eccellenza dell'opera, ma per la rassomiglianza del mio esemplare, la quale sì viva e sì manifesta appariva agli occhi vostri, e a quelli de' nobili Spettatori, che tutti del pari ne godevano.

(18) *E' opinione universale, che io nè abbia composto, nè possa comporne un migliore L' Imperadore disse in pubblico, che sì fatte opere non si vedevano in Italia, perchè in Italia non v'era un altro Apostolo Zeno, che sapesse comporne; precise parole di lui, che jeri appunto giorno di gala, per esser l'anniversario dell' Augustissima, me ne diede, insime con essa, lode particolare*. Epist. 133. Vol. II.

(19) *La poesia non è stata fin ora la mia continua occupazione. Molte Dissertazioni istoriche e filologiche mi è bisognato di stenderre per ubbidire a chi deggio: queste restano sepolte, e nascose all'altrui sguardo e censura.*

(20) *Io non credo d'esser stato amato tanto da alcun mio amico, quanto da Carlo:* Refert hæc Zeni verba Valsechius in eius panegyrica oratione p. 40.

(21) *Io scorgeva in que' drammi la necessità di ritoccarli seriamente, dove nè la fretta, con cui dovetti idearli e comporli, nè il riguardo*

del luogo, e degli attori destinati a rappresentarli, mi aveano dato tempo, e lasciato modo di liberarli da quelle imperfezioni, che per entro manifestamente, e a mente riposata vi ravvisava ..... Se fosse stato possibile levarli affatto dal mondo o dalla memoria degli uomini, l' avrei fatto assai più volentieri, anzi che vederli con questa nuova edizione riprodotti, e in certo modo rinati. Il degnissimo Sig. Co Gaspero Gozzi ha vinte in parte le mie ripugnanze con esibirmi la sua assistenza, e la sua correzione in que' luoghi, dove più manifestamente ne avesse scorto il bisogno, dimostrandomi che è assai minor male il rimetterli in vista col loro primiero abito e aspetto, che lasciarli nella difforme sconciatura, con cui l' altrui petulanza e sciocchezza aveagli guasti e diffigurati, con pericolo, che un giorno dopo la mia morte venissero in così sconcio arnese, e informe sembianza raccolti e divulgati. Epist. 262. T. III. Et alibi, id est in epist. 52. ejusdem vol. hæc habet *Delle mie cose drammatiche io fo presentemente sì poco conto, che anzi che nudrirne compiacimento di averle scritte, ne ho pentimento e disprezzo; talchè a chi si ponesse a criticarle e a dirne male, io quasi ne avrei più obbligazione, che a chi ne prendesse la difesa, e ne dicesse ogni bene. Trattone alcune poche, io le considero sconciature ed aborti; ed in questo numero io metto ancora l' Eumene, benchè questo Dramma sia stato fortunatissimo sopra le scene, e recitato in quasi tutti i teatri d' Italia*.

(22) Vid. Epist. 276. vol. II. & notas *all' Eloquenza Italiana del Fontanini* p. 489. vol. II. Inter cetera hæc scripsit Zenus eadem in epistola. *Per quanto io condanni i Drammi musicali, come Tragedie irregolari, non posso risolvermi a dirli col* Sig. *Muratori mostri ed unioni di mille*

in-

inverisimili .... Alcuni di questi (inverisimili) *provengono dalla necessità e natura d l componimento, come il dover cantarsi da capo a piedi le ariette musicali, le tante mutazioni di scena, ai quali e simili inconvenienti non è possibile che si dia riparo. Altri poi derivano dalla poco avvertenza del Poeta, che non conserva l'unità dell' azione, non la conformità dei caratteri, non il decoro della scena tragica, non il buon costume a purgazione degli affetti, non il movimento di questi a compassione o a terrore, non le convenienze di un viluppo o di uno scioglimento alle buone regole accomodato. Questi mali si possono e si debbono levar dal teatro musicale.* Et infra. *Più di tenerezza nudrisco per li miei Oratorj, ove conservo l'unità del luogo, dell' azione, e del tempo, e la nobiltà de' caratteri, e la proprietà degli affetti; talchè potrei ridurli a buone Tragedie se gli stendessi con più versi, e li rendessi liberi dalla necessità della musica.*

(23) *Desidera VS. Illustrissima da me un giudizio dell' opere drammatiche del mio Antecessore Sig. Apostolo Zeno, quasi che non bastasse il suo proprio, assai più sicuro di quello di chi, obbligato a calcar l'istessa carriera, è soggetto anche senza avvedersene a lasciarsi sedurre dalla pur troppo comune viziosa emulazione, per la quale* figulus figulo *ben rade volte è favorevole. Io poco sicuro di me stesso nel saper conservare il dovuto mezzo fra l'invidia e l'affettazione evito il minuto esame delle opere suddette: ma non posso però tacere, che quando mancasse ancora al Sig. Apostolo Zeno ogni altro pregio poetico, quello di aver dimostrato con felice successo, che il nostro melodramma e la ragione non sono enti incompatibili (come con tolleranza, anzi con applauso del pubblico parea che credessero quei*

Poeti, che egli trovò in possesso del teatro, quando incominciò a scrivere) quello dico di non essersi reputato esente dalle leggi del verisimile; quello di essersi difeso dalla contagione del pazzo e turgido stile allor dominante; e quello finalmente d' aver liberato il coturno dalla comica scurrilità del socco, con la quale era in quel tempo miseramente confuso, sono meriti ben sufficienti per esigere la nostra gratitudine e la stima della posterità.

(24) Unum e multis seligemus, quod est in principio libri II. ubi ait; *che del Zeno non ebbe la patria nè raccoglitore più diligente, nè conoscitore più accorto di tutto ciò che in qualsivoglia modo le appartenga.*

(25) Hæc scripsit Zenus ad Hannibalem Olivierium in epist. dat. XIV. Kal. Ian. 1739 *E' uscito i giorni passati un 39. Tom. del Giornale d' Italia. Tre sono gli autori di esso, ma 'l principale si è il Sig. Stellio Mastracà di Corfù, in compagnia d' un suo, credo, compatriotta Niccolò Caramondani, e di altro giovine per nome Lodovico Mallet. Eglino professano di non volere nè lodare, nè censurare chi che sia, ma semplicemente e sinceramente riferire le opere uscite in Italia dopo il 1734. in cui terminò l' altro Giornale per la morte del fu mio amatissimo fratello.* Epist. 155. Vol. III.

(26) Epist. 7. Vol. III.

(27) Vid. ejus notas *all' Eloquenza Italiana del Font.* Vol. I. p. 14. & Vol II. p. 201. 202.

(28) *In materia di spiegazione di medaglie antiche e monete, non ho mai avuto coraggio di entrare in campo pubblicamente; e da solo a solo con qualche padrone ed amico ne ho tenuti famigliari discorsi, e confidatone, qualunque ei si fosse, il mio sentimento. Alle conghietture in particolare, per quanto sieno o pajano*

plau-

plausibili, son solito prestar poca fede; e dove chiara ed evidente non trovo la cosa, procedo con diffidenza e riserva, e fo come coloro, che camminano e ballano sopra la corda, i quali barcollando si piegano or su l' una parte, or su l' altra in atto, o in pericolo di vicina caduta. Da tali premesse, che sinceramente le spongo, ella di già comprende l' animo mio intorno alla pubblicazione della lettera, che l' anno addietro le scrissi sopra la consaputa moneta. Siccome la sposizione che gliene feci è tutta su conghietture, così non saprei approvare, che si rendesse pubblico l' ardire con cui le ho stese. La prego per tanto di risparmiarmi questo dispiacere, e questa prima comparsa, in cui mi esporrei, di novello antiquario. Ep. 226. Vol. III.

(29) E multis commemorandos esse putamus Ioannem Albertum Fabricium, qui sæpe suis in Bibliothecis citat Zeni Dissertationes, & præsertim in ea quæ est *mediæ & infimæ latinitatis*; Scipionem Maffeium, Ludovicum Muratorium, Bernardum de Rubeis, Io. Mariam Mazzuchellium, Marcum Foscarenium, & Angelum Mariam Card. Quirinium, cuius judicium prolatum in Diatriba de Epistolis Francisci Barbari haud exscribere pigebit. Ait enim: *Inter hosce* (eruditos viros) *grati animi sensus quam maxime profiteor V. Cl. Apostolo Zeno, quem, ubi nodus vindice dignus incideret, quoties consului, toties summam in eo humanitatem, inexhaustam rerum copiam, exquisitam criterii perspicaciam incredibili cum admiratione persensi: præter quam quod quæ ipse collegit, & observavit de Francisco Barbaro Tom.* XVIII. *Ephemer. Erud. Ital. adeo solida, adeo exacta deprehendi, ut ab his vix, aut ne vix quidem mihi in hoc opere contigerit vel latum unguem discedere.*

(30) Valsechii Oratio p. 61.

 (31) *Ri-*

(31) *Ricercato del mio parere da amici, lodo quando mi piacciono* (i componimenti) *e quando no, o nulla ne dico, o lo dico con tal cautela e rispetto, che non dò luogo all' offesa, e me ne rimangon con obbligo, non altercando se trovo resistenza, e non vantandomene se incontro docilità* Ep. 38. T. III.

(32) Hæc in tumulo inscripta fuere. *Apostolo Zeno Civi Veneto Imp Caroli VI. Augusti & Theresiæ F. Augustæ Historico & Poetæ religione morum suavitate eruditione multiplici præstantissimo Fratres Prædicatores benemerenti P. Anno MDCCL.*

OPERA EDITA

L' INCENDIO VENETO. Venezia 1684. Nunquam mihi videre contigit carmina Zeni, quibus hoc incendium descripsit.

VITE DEL TRISSINO, e del Guarini. Extant *nella Galleria di Minerva*. Tom. I.

LETTERA al Sig. Astorri intorno ai Cardinali Veneziani.

DEL MAPPAMONDO Istorico Tom. V. in cui si contengono i Regni Settentrionali, cioè d' Inghilterra, di Scozia, di Svezia dal loro cominciamento fino all' anno 1699. *Parte I. Continuazione dell' Opera del P. Antonio Foresti della Compagnia di Gesù. In Venezia ed in Parma per Giuseppe dell' Oglio* 1709 *in* 4. *Tom. V. part. II. che contiene le vite de' Re di Svezia dal cominciamento della Monarchia fino all' anno* 1702. *Tom V. part. III. che contiene le vite de' Re di Danimarca, e Norvegia dal cominciamento della Monarchia fino all' anno* 1705. *Part. IV. che abbraccia le vite de' Re di Danimarca e Norvegia dall' anno* 1448. *per fino all' anno* 1705. *come*

me pure le Storie del Ducato di Holſtein; e quelle del Ducato di Geldria.

VOCABOLARIO degli Accademici della Cruſca, compendiato da un Accademico Animoſo ſecondo l'ultima impreſſione del 1691. In Venezia preſſo Lorenzo Baſegio. 1705. Vol. II. in 4.

I CONSIGLI DELLA SAPIENZA, ovvero raccolta delle maſſime di Salamone le più neceſſarie all'uomo per dirigerſi ſaviamente con rifleſſioni ſopra queſte maſſime: Opera traſportata dalla lingua Franceſe nell'Italiana. Venezia 1703. preſſo Domenico Valvaſenſe. in 8.

LETTERA diſcorſiva di Apoſtolo Zeno nobile Creteſe e Cittadino originario Veneziano, al Sig. Abate Giuſto Fontanini intorno alla grand' Opera delle Meditazioni Filoſofiche del Signor Bernardo Treviſano Patrizio Veneziano, colla quale occaſione ſi ragiona parimente dell' origine, e degli Uomini letterati della famiglia Treviſana. Venezia 1704. in 8.

GLI ELEMENTI DELLA STORIA, ovvero ciò che biſogna ſapere della Cronologia, della Geografia, del Blaſone, della Storia Univerſale, della Chieſa del vecchio Teſtamento, delle Monarchie antiche, della Chieſa del nuovo Teſtamento, e delle Monarchie novelle, avanti di leggere la Storia particolare. Ultima edizione diviſa in tre Volumi, accreſciuta delle Monarchie novelle, di molte coſe ſopra la Storia Eccleſiaſtica, e ſopra la Storia civile, e di una ſerie di Medaglie Imperiali da Giulio Ceſare ſino ad Eraclio. Opera del Sig. P. LL. di Vallemont, P. e D. in Teol. tradotta dalla lingua Franceſe nell' Italiana. Venezia per Girolamo Albrizzi 1714. in 8.

DEGL' ISTORICI delle coſe Veneziane, i quali hanno ſcritto per pubblico decreto. In Venezia 1718. appreſſo il Loviſa. Volumen I.

habet præfationem & vitam Marci Antonii Sabellici a Zeno conscriptas. II. ejusdem copiosas notas in vitam Bembi. III. vitam Pauli Parutæ.

VITA DI ENRICO CATERINO D'AVILA premessa alla Storia del medesimo delle guerre civili di Francia, pubblicata in Venezia per Francesco Hertzauser 1733. *in foglio.*

NOTE alla vita di Francesco Guicciardini scritta da Domenico Maria Manni. Editae observationes & vita fuere cum historia Guicciardinii Venetiis 1738. in fol.

NOTIZIE LETTERARIE intorno ai celebri Stampatori Manuzi premesse alla ristampa delle lettere familiari di Cicerone, volgarizzate da Autore anonimo, e corrette dal giovine Aldo. Venezia per Francesco Piacentini 1736.

POESIE DRAMMATICHE di Apostolo Zeno già Poeta e Istorico di Carlo VI. Imperatore, e ora della S. R. Maestà di Maria Teresa Regina d'Ungheria, e di Boemia, Tom. X. Venezia 1744. *presso Gio. Batista Pasquali.* En omnium Dramatum nomen eo ordine, quo typis impressa sunt. In Vol. I. *Ifigenia in Aulide, Merope, Cajo Fabbrizio, Lucio Papirio, Atenaide, Temistocle*: in Vol. II. *Andromaca, i due Dittatori, Gianguir, Ornospade, Semiramide in Ascalona*: In Vol. III. *Griselda, Lucio Vero, Enone, Nitocri, Meride, e Selinunte*: In Vol. IV. *Ormisda, Scipione nelle Spagne, Engelberta, Imeneo, Teuzzone*: In Vol. V. *Venceslao, Mitridate, Euristeo, i Rivali Generosi, Eumene*: In Vol. VI. *Faramondo, l'Amor Generoso, Sirita, Alessandro Severo, Aminta*: In Vol. VII. *Gl'Inganni felici, la Svanvita, Pirro, il Narciso, Psiche Serenata per musica*, In Vol. VIII Extant *le azioni sacre*. Horum vero dramatum, quæ separatim impressa antea fuerant, nomina sunt: *Sisara, Tobia, Naaman, Giuseppe,*

pe, *David*, *le Profezie Evangeliche d' Isaia*; *Gioaz*, *il Batista*, *Gionata*, *Nabot*, *Daniello*, *David umiliato*, *Sedecia*, *la Gerusalemme convertita*, *S. Pietro in Cesarea*, *Gesù presentato nel Tempio*, *Ezechia*: In Vol. IX. & X. Extant dramata, quae Zenus conjuncta opera cum Petro Pariato, ipso quoque Poeta Cæsareo, fecit. Hæc sunt. *Ambleto*, *Costantino*, *Sesostri*, *Alessandro in Sidone*, *D. Chisciotte in Corte della Duchessa*. Et hæc in Vol. IX. In X. vero extant *Astarto*, *Artaserse*, *Statira*, *Antioco*, *Flavio*, *Anicio Olibrio*,

SONETTI II. Extant inter carmina Zappii aliisque in collectionibus poeticis.

DISSERTAZIONI Vossiane di Apostolo Zeno, cioè giunte ed osservazioni intorno agli Istorici Italiani, che hanno scritto latinamente, rammentati dal Vossio nel Lib. III. de Historicis latinis. Tom. II. *In Venezia* 1752. *per Giambatista Albrizzi ec. in* 4

BIBLIOTECA dell' Eloquenza Italiana di Monsignore Giusto Fontanini Arcivescovo d' Ancira con le annotazioni del Sig. Apostolo Zeno Istorico, e Poeta Cesareo, e Cittadino Veneziano. Tomi II. Venezia 1753. *presso Giambatista Pasquali in* 4.

LETTERE di Apostolo Zeno Cittadino Veneziano, Istorico e Poeta Cesareo, nelle quali si contengono molte notizie attenenti all' Istoria Letteraria de' suoi tempi, e si ragiona di libri, d' iscrizioni, di medaglie, e d' ogni genere d' erudita antichità. Vol. III. in Venezia appresso Pietro Valvasense in 8. In volumine I. extat Zeni epistola ad Joannem Josephum Ursium adversus Dominicum Bouhoursium, quæ antea ab ipso Ursio cum aliis hujusmodi scriptis impressa fuerat.

GIORNALE de' Letterati d' Italia Volumi XXXVIII. Nemo nos accusabit, quod hujusmodi ope-

operis gloriam Zeno concesserimus. Quamquam enim multi illius participes fuerunt, laus tamen præcipua eidem debetur, quod illo auctore idem opus susceptum fuerit, illo duce continuatum, illo adjutore perfectum, in iis praesertim quæ ad scribendi elegantiam pertinent; quodque demum auctum ornatumque fuerit ob plurima ab ipso suppeditata scripta cedro sane dignissima. Ex his commemorandam hoc loco putamus (neque enim alibi illius mentionem fecimus) Dissertationem adversus Guidonem Grandium *intorno al Doge Pier Orseolo*. Extat hæc in Volumine IX. pag. 361.

ANGE-

ANGELUS FABRONIUS

BLANCONIO SUO S. P. D.

SÆpe inter nos, mi eruditissime Blanconi, quod profecto memoria tenes, familiaribus sermonibus est quæsitum, unde hoc exstiterit, quod nostra ætate cœpit vigere, tam commune veterum Scriptorum, tamque insolens fastidium. Ego vero cum in alias res hujus gravissimi incommodi caussam confero, tum præsertim in quosdam homines ne leviter quidem doctos, qui ut sese ac sua venditent imperitis, nihil non agunt, quo e nostris manibus excutiant eam quasi trutinam, unde, quanti eorum sit, æstimari possit. Etenim doctissimi quique quam præclare de veteribus sentiant, ut eos venerentur, ut in cælum efferant laudibus, id ego & in ipsa Italia, & Italia procul multis locis sæpe cognovi. Frequenter, dum Parisiis eram, cum summis viris versabar Alembertio, Arnaldio, & Buffonio. Ac de Alembertio quidem persæpe audivi cum di-

diceret, neminem se noße, quem in geometricis rebus cum Archimedis ingenio atque acumine conferret: alter vero singulis fere sermonibus inculcabat, actum esse de optimo genere scribendi, nisi ad exemplaria Græca & Latina convertamus animum: ille denique tertius Aristotelem & Plinium nunquam nominabat, quin eorum ingenium, eruditionem, judicium in naturali Historia illustranda mirifice prædicaret. Dabis hanc mihi profecto veniam, mi Blanconi, ut in hac disputatione diutius hæream aliquanto: etenim hæc ipsa Michelii vita me quodammodo admonuit, nullam opportuniorem ad ea, quæ dicenda sunt, ingressionem futuram. Cavendum est enim, ne quis eorum, quorum in manus hæc venerint, secus intelligant quam velim, cum legent commodiores quasdam his postremis temporibus esse inventas rationes ac vias historiæ naturalis (præsertim quæ ad plantas pertinet) explicandæ ac tradendæ; eandemque viam Petro Antonio Michelio ad gloriam atque ad immortalitatem fuisse. Quæ si quis in eam partem accipiat, ut illa veterum scripta hi-

sce

sce novis obsolevisse jam, aut paullum obscurata esse putet; næ ille vehementer errat. Nam ut eodem redeat unde paulo ante deflexit oratio, atque ut clarissimos viros mortuos iisdem prope ornem laudibus, quibus a clarissimo hujus ætatis viro (1) *sunt ornati, quid Aristotelia animalium historia fieri potuit utilius observationum diligentia, varietate, & copia? Quæ si unius hominis sunt, quæ poterit ejus solertiæ par laus inveniri? Sin e multis voluminibus unum in locum sunt collatæ atque in artem redactæ; illa tamen totius operis forma, illa partium tributio, illa & exemplorum electio & similium convenientia, ille denique in cogitando, atque in exprimendis animi sensis quidam ductus & quasi color, quem ego Philosophi notam & characterem libens appellaverim; hæc inquam omnia nonne eum longe aliis præstitisse declarant, a quibus eam suppellectilem sit mutuatus? Nam Plinii ingenium nullis est terminis circumscriptum aliis, quam quibus*

(1) Buffon Discours de la manier d' etudier & de traiter l' histoire naturel.

bus Natura rerum definita & conclusa est. Audeo dicere ipsam hanc universitatem homini summo angustiorem suo ingenio prope esse visam. Cujus historia non mutas solum animantes, & stirpium vim prope infinitam, & metallorum, ceterarumque opum, quæ sunt in terræ latebris retrusa atque abdita; sed cœli præterea descriptionem, terrarumque omnium una complectitur: adde huc medicinæ, mercaturæ, navigationis historiam, artiumque omnium, quæ vel vulgares atque humiles, vel ingenuo sunt ac libero dignæ: atque, ut brevi complectar omnia, quæcumque tum homines seorsim norant, qui una in re separatim elaboraverant, hæc ille divina quadam facultate & doctrina complexus est universa. Ad hanc vero tantam materiem tamque multiplicem parem semper affert & cogitandi sublimitatem, & acumen scribendi, & eruditionis elegantiam, & judicii maturitatem: ita vero stylum rebus attemperat, ut imitari eam ipsam naturam videatur, quam depingit; ita amœna hilare, tristia severe, exilia presse, grandia magnifice exprimit. Sed ei, qui philoso-

losophus est futurus, duabus præsertim virtutibus usui est; & quod libertatem quandam inspirat legentibus, vacuo a præjudiciis animo cogitandi; & quod non tam singulas res, quam genera ipsa rerum intuetur ac sequitur; scientiamque sic se gerendo efficit longe pleniorem. Scio hoc, quod postremum posui, & Plinio & plerisque veteribus vitio verti; eoque nomine recentiores anteferri, quod hi subtiliores in natura indaganda, diligentioresque inveniantur. Sed ego hanc laudem priscos homines non tam desperasse arbitror difficultate consequendi, quam judicio quodam neglexisse. Omnia illi ad utilitatem referre, nihil ad ostentationem aut ad curiositatem solebant: libros aut numero augere, ut nunc fit, aut etiam mole exaggerare, neque impune poterant, neque, si potuissent, omnino vellent: magni viri perpetuam esse laudem ac propriam ducebant in magnis itidem rebus ponere industriam. Atque ut hujus rei ab alio genere artis, neque tamen adeo dissimili, petamus exemplum, quis nostrum est veterum tabularum artisque pi-

ctoriæ

ctoriæ paulo cupidior, qui nesciat Raphaelem præsertim Urbinatem, eam consuetudinem in imitanda veritate semper tenuisse, ut quod in imagine primum ac præcipuum est, quam diligentissime perficeret ac poliret; cetera, quæ secundaria illa in arte appellantur, lineamentis & coloribus paucis adumbrata potius quam expressa relinqueret? Vere hoc mihi videor esse dicturus, librorum Genium (si Poetæ (1) voce uti licet) itidemque picturæ hoc indicio prodi vel maxime, quod in tenuiculis quibusdam indiligentiam & neglectum, in maximis sedulitatem curamque præseferant. Neque tamen non magna illis habenda gratia est, qui huic veterum incuriæ mederi, naturamque eam, quæ vel in minimis admiratione digna est, indagare subtilius voluerunt: neque ille ego sum tam ineptus homo, & tam vecors;

Qui redit ad fastos, & virtutem æstimat annis,

Miraturque nihil, nisi quod libitina sacravit.

Sed

(1) Mart. lib. VI. Epig. LX.

Sed nihil opus est, mihi crede, hac ætate scribenti novos auctores commendare: illud necesse habemus monere lectores, ne horum gloria veterum nobilitatem imminutam putent. Tu vero, mi Blanconi, qui monitore, me præsertim, non eges, ea voluntate fac suscipias Michelii vitam, qua ego defero, veteris amicitiæ testimonium, si tantum scribendo assequi potero, sempiternum. Hunc autem virum, quo de nunc agimus, eo etiam nomine pluris æstima, quod historiam naturalem non iis ætatibus coluit, qua pauci ejus scientia delectarentur, quod illis veteribus usu video venisse; sed eo potius sæculo, quod huic Philosophiæ parti tantum habet honorem, quantum nullo unquam tempore se consecuturam speravit. Vale

Florentiæ Kal. Sex. MDCCLXXIV.

PETRUS ANTONIUS MICHELIUS.


Etrus Antonius Michelius magnum inter Botanicos nomen, idemque ambiguum eſt. Duo enim, alius alio ævo, extiterunt eodem illo nomine vocitati, eademque in Italia orti, qui rei herbariæ diſciplinam colerent & augerent. Sed ille ſuperior, qui ducentis ante annis vixit, generoſus ac dives, plurima a fortuna mutuatus præſidia ad laudem, vix eo proceſſit, ut ſecundarum aut tertiarum partium fuiſſe actor videatur; hic autem recentior, cujus vitam ſcribere in animo eſt, genere obſcurus, rei familiaris egentiſſimus, multis ad omne decus litterarum ſeptus incommodis, in eam venit famæ celebritatem, ut nemo ei anteferatur, pauci pares numerentur. Itaque in hoc homine compertum eſt quid præclara indoles poſſit etiam reluctante fortuna. Pater ejus Petrus Franciſcus artem factitavit non abſimilem fullo-

ni-

nicæ, quam Theophrasti patrem exercuisse proditum memoriæ invenio. Is Petrum Antonium ex Maria Salvuccia uxore suscepit Florentiæ anno cIↃIↃLXXIX., eumque mox peradolescentem vix primis litterulis imbutum bibliopolæ tradidit, cujus in taberna stipendia faceret libris consuendis poliendisque. Quo tempore cum piscatui identidem indulgeret, audiretque genus quoddam esse graminis, quod objectum piscibus eam stupiditatem inducit, ut in manus prædamque hominum sponte fluant, incredibile dictu est, quo studio exarserit cognoscendi ejus & comparandi. Erat autem *tithymalus characias*, quam ille in horto botanico internoscere, ejusque formam animo insculpere primum curavit: colles deinde urbi finitimos, prata, camposque omnes perlustrare atque scrutari cœpit incredibili patientia, conatu irrito: neque enim id genus plantæ in Etruria proveniunt sponte sua, nisi Pisanis aliquot jugis, & maritimo quodam tractu. Sed quanquam male

ei res ceciderat, minime tamen abjecit animum, aut se ab eo studio, in quo casu inciderat, revocavit. Jamque a piscatu ad herbariam omni cura cogitationeque traducta, quidquid e suo munere superérat otii, id in Mathioli commentariis consumebat: quas vero cumque species herbarum in iisdem expressas viderat, eas circum agros quærere, bibulis chartis siccare, scitari ex peritioribus viris ecquod nomen cuique verius conveniret. Ferunt eum adhuc adolescentulum, summa æstate, triduano itinere, genus quoddam astrantiæ in supremo Apuæ jugo nasci solitum quæsivisse; atque inde reducem, absumpto viatico, fractis viribus, ad quandam tabernam XXIV. ab urbe lapide semianimem jacuisse, eoque casu tabernarium commotum hospitio liberaliter excepisse, neque ante remisisse domum, quam recreatum vidisset. Hisce rebus sæpe a parentibus objurgatus, quod inanem voluptatem, ut putabant, suis commodis posthaberet, eos tandem inflexit gravissimorum

ho-

hominum, qui jam tum optime de eo ſperare cœperant, auctoritate. In quibus tres potiſſimum commemorandi ſunt ex eadem Sodalitate Vallis Umbroſæ religioſi viri, beneque de plantarum hiſtoria meriti, Virgilius Falugius, Blaſius Blaſius, Bruno Tozzius, quos ille tum adoleſcens hortatores habuit, adjutoreſque ſtudiorum ſuorum: hinc librorum ſupellex, hinc itinerum ſubſidia, hinc rudimenta certæ cujuſdam & ratione traditæ doctrinæ. Ejus fructus fuere opuſcula quædam lucubrata, vix digna quæ memorentur, ſi poſteriorem ſpectes tanti hominis uſum atque doctrinam; ſin auctoris ætatem atque induſtriam conſideres, commendatione omnium digniſſima. Quorum unum continet nomina herbarum umbelliferarum circa Maurillum montem naſcentium, quod Coſmo a Caſtellione nobili viro ſuique amantiſſimo, cujus in latifundio repertæ fuerant, nuncupavit: altero vero complexus eſt plantas Thuſciæ rariores, deſcriptionemque præterea rerum naturalium, quæ videren-

tur eo in regno admirandæ; idque Cosmo ipsi Magno Etruriæ Duci donum paraverat. Fuit enim ille Princeps, cum omnis philosophiæ, tum historiæ plantarum satis cupidus; qui ut Theophrasti libros probe illustratos videret, statuerat olim usque in Ægyptum herbarios mittere, ut cum in rem præsentem venissent, facilius de iis, quæ ille scripserat, possent judicare. Id negotium, aliquot post annis, non multum abfuit quin ipsi Michelio legaretur. Sed is ægre ac serius in cognitionem Principis atque existimationem venit. Obstabat enim litterarum, ac latinitatis præsertim, ignoratio, quin plerique opinionem de eo satis dignam haberent. Itaque operarium quendam vulgo arbitrabantur, nemo philosophum sperabat. Ille vero cum se in clientelam doctorum hominum ac potentium dedisset (in his nominatos invenio Philippum Bonarrotium, Laurentium Magalottum, Josephum del Papa) paullatim aulæ regiæ innotescere, atque in ore hominum esse cœpit. Augebat ei famam ex-

te-

terorum judicium, qui Florentiam ventitabant, Guilelmi Gherardii præſertim, qui eum magnæ indolis optimæque ſpei juvenem prædicaverat: in primis vero Joſephi Tournefortii dictum ſummo ei bono fuit. Cum enim Michelius herbulæ σχελετὸν, de cujus nomine hæſitabat, per Laurentium Magalottum in Galliam ad Regnerium miſiſſet, ut ea de re ad Tournefortium referret, reſpondit gravis auctor, atque herbariæ philoſophiæ quaſi deus, *Gallium ſaxatile, minimum, pyrenaicum, muſci facie* videri; ei autem juveni, qui tale gramen in Italia repererat, gratulari ſeſe, optimeque ominari: neque enim, inquit, id genus plantæ, niſi præruptiſſimis montium jugis, innaſci ſolent; quo nemo perrepſerit, qui non idem ſtudioſiſſimus ſit hujus noſtræ doctrinæ. Ea vox divinatio quædam fuit: etenim & illa herbula in ſumma Apuana petra fuerat reperta, ubi vel caprini gregis veſtigium fruſtra quæſiviſſes; & ille juvenis ob eam ipſam tanti viri commendationem Coſmo renuntiatam,

primo Principis gratiam, tum pecunias; ad extremum gloriam quam ampliſſimam conſecutus eſt. Primus ad lautiorem fortunam gradus fuit anno cIↃIↃcvi., cum annorum eſſet vii. & xx. Tunc enim Angelo Tillio medici horti, qui Piſis eſt, Præfecto adjutor eſt datus, centuſſium lxxx. in annos ſingulos merces decreta, negotium commiſſum, uti ſelectiſſimis herbis Florentinum & Piſanum regios hortos augeret. Sic ille opificio librorum aliquando liber, totum ſe ſe litteris abdidit. Qui quamvis naturalis hiſtoriæ partem nullam prætermiſerit, herbariam tamen habuit eximiam; deque ea perficienda jam tum agitare animo conſilia cœpit. Allatæ nuper in Italiam e Gallia fuerant Tournefortii herbariæ Inſtitutiones, eique Magni Ducis munificentia dono datæ; in quibus nova quædam ratio, ſive ut Græci loquuntur, μέθοδος traditur totius facultatis ediſcendæ. Hanc rationem, quæ poſt ab italicis ſcholis omnium expeditiſſima & aptiſſima judicata eſt, primus Italorum arripuit Michelius, atque ad

eam

eam augendam totum se contulit; nullam ut aliam rem tot vigiliis, tot itineribus, tot lucubrationibus egisse magis videatur, nisi ut Tournefortiana ratione auctiore atque emendatiore uteremur. Perfecit vero quod instituerat III. & XX. annis eo libro edito, quem *Nova plantarum genera* inscripsit. De quo volumine plura lectorem docebimus, sed opportuniore in loco: prius enim docendus est, quibus ille artibus tantam facultatem attulerit ad scribendum. Quare dicemus primum de itineribus ejus; simul cetera expediemus quæcumque memoria digna erunt. Atque ejus quidem itinera capitulatim scribemus: studiosiores harum rerum ad eos libros delegabimus, quos cl. vir Jo. Targionius partim ipse composuit, partim a Michelio conscriptos publici juris fecit (1) partim in sua bibliotheca, producturus cum fata siverint, invitus premit. Nihil vero est iis copiosius ad cognoscendum quanta in locorum va-

(1) Catal. plantar. Horti Flor. in Præf. Viaggi ec. lib. VI. & alibi.

varietate, quantaque ſit cum utilitate Michelius verſatus. Apparet enim totam fere ab eo Italiam peragratam; nullum in ea fuiſſe medicum hortum paullo notiorem, quem non iviſerit; neminem rei herbariæ ſcientiorem, quem non convenerit; nullum denique tractum ubertate herbarum paullo nobiliorem, quem non perluſtrarit. Idem Tirolin, Auſtriam, Boemiam, Boruſſiam, Sileſiam, Thuringiam adiit: iter quoque in Galliam apparaverat, quod aliis atque aliis impedimentis interceptum ſublatumque eſt. Quo autem venire ipſe non potuit, inde ſemina plantarum indigenarum, aut earum σχελετὰ impetravit. Id non tam permutatione rerum ſimilium conſequebatur, quam ſua dignitate. Erat enim in magna apud exteros fama, quemadmodum Maffejus & Cocchius litterariis itineribus peractis, teſtati ſunt; indicioque ſunt epiſtolæ clarorum virorum poſt ejus mortem repertæ, qui ejus ultro amicitiam expetivere, perpetuiſque officiis coluere (1).

Hae

(1) Extat collectio apud Targionium.

Hac ratione Pisanum hortum, maximeque Florentinum, cujus omnis ei fuerat procuratio delata, mirifice locupletavit. Quem cum ita squallentem suscepisset, ut iv. & lxxx., neque eo plus, species plantarum contineret, effecit industria sua, ut florentissimus in Italia censeretur. Cujus etsi catalogum stirpium habemus a Michelio contextum, non ex eo tamen aut viridarii præstantia, aut Præfecti sedulitas metienda est: constat enim, cum ille scriberet, vix decimam partem stirpium, quas inseverat tot continuis annis, superfuisse; reliquas aut cœli conditione, aut hyemis vi, aut cultorum socordia periisse. Quare cum hoc genere hominum perpetuum bellum habuit indictum, quorum culpa tantos labores tantamque spem prope quotidie interire videbat. Neque solum multitudinis plantarum in conserendo horto, sed elegantiæ quoque atque ordinis, qui a Tournefortio fuerat inductus, habuit rationem. Ita est factum, ut loci amœnitas juxta & commoditas discendi multos alli-

ce-

ceret, ut eodem ventitarent, & Michelium audirent: in quibus nobilissimi etiam homines & primarii civitatis fuerunt. Sed ut eos, qui rem herbariam animi gratia excolerent in viridario atque intra sæpta instituebat, ita e contrario, siquis præstans ea in arte vellet esse, eum in medios campos eductum erudiebat: neque enim palæstram esse meliorem putabat, quam quæ a natura esset constituta; neque in herbariorum numerum posse quemquam venire, nisi in ea diu multumque desudasset. Quapropter cum audisset aliquando se a quibusdam Patavinis Doctoribus nescio qua in re esse reprehensum: ego vero, inquit, istos delicatulos, qui in libris tantum, aut in viridariis didicerunt, vix herbariorum nomine dignos puto; quos si ex umbra in solem eduxeris, rudes inveneris atque infantes. Itaque nihil ipse magis providit, quam ut nemo sibi hoc crimen posset obiicere. Legerat quidem omnes ante se Scriptores; & qua erat memoriæ facultate, nedum descriptiones formasque plantarum,

sed

ſed ipſam paginam mente retinebat, qua quidque legiſſet. Neque eo ſecius loca, unde ſtirpes illi decerpſerant, quoad potuit, inviſit; quod eam unam viam eſſe tutiſſimam putabat ad eorum ſcripta vel refutanda vel probanda. Tali conſilio Apuliam, Campaniam, Umbriam, Latium peragravit Fabii Columnæ veſtigiis olim impreſſa: ad hæc Togatam in Galliam venit, campos ſemel atque iterum ſcrutatus eſt ab Anguillara deſcriptos; maxime vero ſingulos Etruriæ, non dicam montes aut etiam agros, ſed & lacus, paludes fonteſque omnes requiſivit, ut haberet quid de Cæſalpini, aut Bacconis relationibus eſſet ſentiendum. Longum eſt enumerare hæc ſingulatim: hoc unum ſatis erit dictum, nullum prope genus plantarum a ſuperioribus herbariis in Italia fuiſſe deſcriptum, quod nativis ille in locis non requiſierit; ſæpe etiam non attulerit aliquid novi ad illuſtrandum. Siquid vero magis dubium inciderat, pluribus annis eodem rediit; aut ſi eſſet ipſe impeditus, certos homines in agros vel remotiſſimos legavit, unde plantas referrent.

Pa-

Pari ratione quæ tranſalpini aut tranſmarini auctores de ſuis regionibus tradidiſſent, non temere credidit; ſed eas herbas aut in Italia ſatas diligenter examinavit, aut ſi virides videre non poſſet, ſaltem arefactas conquiſivit. Hinc ei præclarus ille & quantivis pretii conſtitit aridus hortus, quem ego multis voluminibus incluſum vidi in ædibus Targionianis: quem qui adſpexerit, vix intelliget quemadmodum tot opes, quas disjunctiſſimis in locis per Galliam, Helvetiam, Britanniam, Germaniam,. Siciliam natura peperit, privatam in domum ſint congregatæ. Sic ipſe de Camerarii, Tragi, Raii, multorumque præterea ſcriptis, qui natale ſolum veſtigarant, potuit judicare. Atque in iis, quas hactenus dixi, formis herbarum archetypis comparandis, amicorum plerumque opera uſus eſt: de his vero ſtirpibus, quas ex Hungaria, Boemia, Auſtria Cluſius vulgaverat, non dubitavit, cum eas elicere aliunde non poſſet, ad ipſum Eugenium a Sabaudia ſcribere, eumque rogare, ut earum

rum exempla herbariorum arte exſiccata ad ſe mitteret: quod videlicet ſummus ille & vir & dux libens fecit, ejuſque benignitatis Michelius voluit memoriam extare, cum herbam ab ejus nomine dixit Eugeniam. Fecit hoc item in pluribus, qui bene fuerant de ſe meriti, veteri more tum aliorum, tum Cratevæ eximii ῥιζοτόμου, qui Mithridati Regi Mithridatiam adſcripſit (1). Præſertim cupidiſſimus erat eas cognoſcendi, quæ circa Montem Peſſulum, illud Botanicorum Athenæum naſci ſolent, de quibus Magnolius, Rondelerius, Dodoneus tam multa ſcripſerunt, duoque in primis hujus philoſophiæ lumina Gaſpar & Jo. Bacchinii; qui quidem vulgaria paſſim appellant certa plantarum genera, quæ apud nos vel nulla ſunt, vel alia ſunt quam putantur. Quarum cadavera, ut his diebus loquuntur, cum fruſtra a multis petiiſſet, ſtatuit ipſe ad Volcas Arecomicos ire, niſi mors occupaſſet. Neque tamen commemoranda non fuit ejus conſilii ratio, ut ſeduli-

ta-

(1) Plin. N. H. lib. xxv. c. vi.

tatem hominis, five religionem potius, quacumque de re fcripfit, legentibus commendemus, quæ fruftra a Dillenio quodam in fufpicionem vocata eft. Nihil enim illo fuit accuratius, quod putabat in iis artibus, quæ experientia conftant, nullam effe nimiam diligentiam. Temporum erat obfervantiffimus, quibus quævis herba maturefceret; ubi vero aliquam legiffet, non in eam unam intuebatur, fed alias generis ejufdem aliis aut locis aut fideribus carptas cum eadem illa conferebat: chryftallos adhibebat exquifitiffimas, quæ magnitudines rerum valde augerent; nihil ftatuere folitus nifi, experimentum eadem de re iterum & fæpius cepiffet. Itaque eum adverfarii in invidiam tarditatis vocabant, quod opus *de novis plantarum generibus* multo ante promiffum, tot jam annis prætelapfis, adhuc prælo abftineret. Quod ubi denique lucem vidit anno hujus fæculi vertentis XXIX., tum vero Auctor æquis lectoribus longe celerrimus vifus eft, qui tantulo annorum fpatio tot res eximias inve-

venisset. Etsi ego non dubitabo quod verum est confiteri. Nam præter diligentiam hominis (addo etiam paupertatem) alia quoque caussa & id opus remorata est, & aliis compluribus fraudi fuit, quominus vivo Michelio vulgarentur. Quamquam enim latine ad legendos scriptores abunde sciret, non tamen ea lingua scribebat satis emendate, aliorumque opera utendum erat quidquid in vulgus edidisset. Hi autem fere fuerunt Antonius Maria Salvinius & Carolus Bindus, qui tum latinitatis omnisque humanitatis laude florebant maxime. Horum auxilio serius fortasse, quam volebat, sed tamen satis eleganter librum illum, de quo proxime meminimus, adornavit. Hic ille est *de novis plantarum generibus juxta Tournefortii methodum dispositis qui* liber, ut Maffejus scripsit (1) *omnium eruditorum consensione, qui ubique gentium sunt, incomparabilis habitus est*. Cujus in descriptione dabunt hanc mihi veniam profecto ii, quorum in manus

(1) *Osservaz. letter. Tom. III. p.* 102.

hæc venerint, ut immorari tantiſper poſſim, remque univerſam ordiri aliquanto altius. Jamdiu enim hoc ago (neque me instituti pœnitet mei) ut litteratorum hiſtoriam cum hiſtoria litterarum ſæpe conjungam. Principio ut ceteræ omnes diſciplinæ, ita hæc, quæ in herbarum contemplatione verſatur, atque a græco vocabulo βοτάνη Botanice dicitur, rudis quædam fuit, neque diſtincta generibus, neque diſcreta partibus, herbarum, quas illi veteres norant, obſervatio & notatio. Neque ea ab Medicina ſejuncta facultas fuit, ſed ejus quædam pars; adeo nullas herbas penſi habebant, niſi quæ adverſæ corporum valetudini poſſent mederi. Itaque earum figuram nemo tum curioſius inquirebat, neque aliis nominibus appellabat, quam queis vulgus nominaſſet. Ex quo deinde eſt factum, ut cum hujuſmodi libros poſteri legunt, tanta plerumque in obſcuritate rerum verſentur, ut divinare potius, quam ſcire videantur quid illi velint. Quamobrem hoc jamdiu

diu homines doctissimi conabantur, ut ex ea, quæ nondum esset ars, efficerent artem aliquando. Notanda nimirum erant genera, eaque ad certum numerum paucitatemque revocanda: his partes, quæ a generibus emanant, subiiciendæ, omniaque vel generum, vel partium nomina definitionibus aptissimis explicanda. Sed hæc diu exercuit doctos homines contentio, quod notas sive characteres generum singulorum alii ab frondibus, alii ab radicibus, alii ab omni figura desumendos censebant, alii rursus a regionibus plantarum, aut ab tempestatibus, quibus quæque maturescerent, aut ab sapore, aut etiam a viribus partitionem ducebant. Primus omnium Andreas Cæsalpinus (est enim hoc Italicorum hominum prope fatum, ut in bonis artibus ipsi inveniant, eorum inventa exteri deinde perficiant & poliant) primus inquam Cæsalpinus hoc vidit, partes herbarum seminales tum figura, tum numero inter sese mire congruere; quocirca eas notandas esse præcipue, ut hi-

ſtoriam plantarum certis generibus diſtinguere atque illuminare poſſis: ita etiam fore ut neque deſcriptiones incertæ ſint, neque ancipitem apud poſteros habeant ſenſum. Id cum a Cæſalpino propoſitum eſſet obſcurius, vix ullum nactus erat a primo ſubſcriptorem ſententiæ ſuæ: poſtea vero quam cl. v. Marcellus Malpighius anatomica ſectione plantas incidere, deque toto genere enucleatius agere inſtituit, tum vero Cæſalpini ratio plurimis placuit; quorum alii notas deſignationeſque generum ſingulorum in floribus quæſivere, alii rurſus in fructibus. Exortus denique eſt ille hujus antiſtes diſciplinæ Joſ. Tournefortius, qui cum ſtatuiſſet, *in claſſium inſtitutione ſolo flore eſſe utendum, cum agitur de plantis, quæ floribus donantur; in generibus ſtatuendis florem ſimul & fructum adhibendum; in ſpeciebus vero dignoſcendis omnes plantarum partes earumque affectiones uſurpari debere*, (1) omnium ſuperiorum in hac philoſophiæ parte glo-

riam

(1) *Inſt. Herb. p. 67.*

riam vicit. Eo enim ordine in rem herbariam invecto, non modo decem plantarum millia, quæ tum fere a Botanicis noscebantur, facile in suas classes sunt distributa; sed etiam tradita ratio est, ubi speciem novam quis reperisset, eam nullo negotio ad classem atque ad genus, quod ei congrueret, revocandi. Ita aliquando hæc naturalis historiæ pars, quæ obscura atque incerta, discentibusque prope infinita eatenus ferebatur, tum clara atque tuta, tum etiam expeditissima esse cœpit; ut neque jam longum usum ad perdiscendum, neque ullam propemodum præceptoris vocem requirat. Regnat vero ad hunc usque diem in eodem doctrinæ genere Tournefortius; neque ab eo principatu Linnæi opera, licet maxime cupientis conantisque, depulsus est. Etenim hujus tota ratio, in plantarum distributione ac nomenclatura, a staminibus, rebusque observatu difficillimis desumpta, ita doctos homines offendit, ut nihil obscurius fieri posse, nihil perturbatius affirmarent.

Exſtat in Linnæum Sigesbeckii hac inſcriptione liber, *Vaniloquii botanici ſpecimen refutatum*; cui titulo mirum quantum reſpondeat reliquæ acerbitas ſcriptionis (1). Buffonius vero qui hominem minus inimice, neque tamen minus ſolide confutavit, non dubitavit in ipſo magni operis limine monere lectorem, ne ſeſe in eam viam, quam Linnæus novam excogitaverat, daret imprudens: Tournefortii rationem ordine, ingenio, abſolutione unam omnibus antecellere (2). Itaque ad hanc μέθοδον vel

(1) *Hoc vero ſyſtema*, Linnæi ſcilicet, *jam cognitis plantarum methodis longe vilius & inferius non ſolum, ſed & inſuper nimis coactum lubricum & fallax, immo luſorium deprehenderim; & quidem in tantum, ut non ſolum quoad diſpoſitionem & denominationem plantarum enormes confuſiones poſt ſe trahat, ſed & vix non plenaria doctrinæ Botanicæ ſolidioris obſcuratio & perturbatio inde fuerit metuenda*. Vaniloq. Botan. ſpecimen refutatum a Sigesbek, Petropoli 1741.

(2) *Parmis ces méthodes celle de M. Tournefort eſt la plus remarquable, la plus ingenieuſe, & la*

vel perficiendam, vel amplificandam Michelii opus, id quod antea significatum est, pertinebat; & quædam, ut ipse loquitur, veluti appendix Institutionum illius viri fuit. Plantas autem eo libro complexus est omnino cIↄIↄcccc: harum Iↄ. temere antea collocatas suis quasque sedibus reponit; reliquas cIↄcccc. nemini unquam observatas primus describit. Etenim cum Tournefortius plantas eas, quæ audiunt graminifoliæ, inter apetalas censuisset, ipse vero earum florem explorasset binis foliis constantem, quæ antea stamina putabantur, optimo consilio novam ex eis classem constituit, & quintædeci

la plus complete... Il est juste de conserver a M. de Tournefort la gloire qu' il a mérité par un travail sensé & suivi, & parce qu' il ne faut pas, que les gens qui ont appris la Botanique par la methode de Tournefort, perdent leur temps a etudier cette nouvelle methode, où tout est changé jusqu' aux noms, & aux surnoms des plantes. M. Buffon manière de traiter l' histoire naturelle primier Discours Tom. I. pag. 18.

cimæ Tournefortianæ subjecit. Contra ea juncos, omnemque stirpem congenerem apetalis, unde male disjunctæ fuerant, aggregavit. Idem plantas, quæ semina in foliis gerunt, cum duas seorsim classes tenerent, unum in locum compulit. Multis præterea in rebus consuluit ordini. Quod quidem alii fortasse leve quiddam putaverint; nos vero magna in laude ponimus. Recta enim distributione nihil est prius tum in ceteris, tum in hoc præsertim genere doctrinæ; quæ ita hodie comparata est, ut cum quinque & viginti plantarum millia comprehendat, eum tantum numerum agnoscere quis possit, si modo ideam animo infixerit plantarum saltem mille, generalem, sive ut philosophi malunt, abstractam; quod quidem, recta distributione remota, fieri non posset. Sed illud non tam ordinis renovatio, quam præclarum philosophi inventum fuit; quod sextamdecimam classem (quemadmodum paullo ante innuimus) cum sequenti conjunxit. Nam illa disjunctio eo potissi-

mum

mum fundamento nitebatur, quod plantæ classis XVI. floribus carerent, classis vero XVII. tum florum, tum etiam fructuum ac seminum expertes viderentur; qua re olim ex putri satæ vulgo credebantur. Hic vero & flores earum & semina primus vidit, si minus omnium, certe multarum: ita constantem naturæ ordinem in gignendis propagandisque fœtibus docuit; reliquias barbaricæ sapientiæ veluti a stirpe sustulit. Hisce rebus nomen repertoris, quod tantopere homines affectant, eo jure consecutus est, quo qui optimo: nemo enim plantas imperfectas, quæ mysterium quoddam rei herbariæ dici poterant, sagacius vestigavit, nemo de muscorum natura, de fungis, deque mucoribus scripsit probabilius. Neque in his modo ejus reperta constitere. Nam & nova plantarum genera invenit ad quatuor millia, quæ partim eodem opere leguntur, partim vero in libris Angeli Tillii, Hermanni Boerhavii, Sebastiani Vaillantii, Jacobi Petiverii edita sunt, eique adtributa nominatim; par-

tim

tim etiam inedita in commentariis reliquit. Atque eum tantum numerum ſupputavit homo rei herbariæ peritiſſimus Ant. Cocchius; cujus etiam illa vox eſt, aliorum quoque doctorum hominum ſuffragio comprobata, nemini mortalium parem adhuc laudem contigiſſe. Neque hoc in terreſtribus tantum plantis, ſed etiam in iis fecit, quæ imo mari naſcuntur, quæque non minus operæ ad inveſtigandum, quam admirationis habent. Harum cum genera circiter viginti ante eum numerarentur, hunc numerum triplo fecit majorem; deque ſingulorum generum figuris egit diſerte, præſertim de florum & fructuum loco, deque ſeminum jactu & fœcunditate. Tantum vero abfuit, ut cujuſquam reperti laudem alteri eriperet, ut multas plantas, quæ fabuloſe a Mathiolio vel ab aliis proditæ ferebantur, ipſe cum veras comperiſſet, ad auctores retulerit ſuos, eorumque nomen tali ſuſpicione liberaverit. Sed neque in iis caſtigandis, ubi quid offendiſſent, verecundior fuit

quam par erat, ut ejus ſcripta demoſtrant: ex quibus apparet, non eum fruſtra tot itinera ſuſcepiſſe, obſervationeſque tot herbarum redintegraſſe, quæ expreſſæ ab aliis fuiſſent. Atque ea quidem quæ hactenus retuli, pleraque pertinent ad primam operis partem, quæ vulgata jamdudum eſt; ſed propter rei tamen affinitatem quædam interſerui, quæ ad alteram ille partem rejecerat, quæ in lucem atque in adſpectum hominum nunquam venit. Ea vero in ejus mss. comparet, tum obſervationibus adornata, tum etiam tabulis; ſed neque abſoluta, neque ita ſaltem adumbrata, ut ab alio perfici poſſit: etenim Auctor, ut qui incredibili quadam eſſet facultate memoriæ, non ita multa adverſariis conſignabat; plurima ſecum ſcire, atque in ipſum tempus ſcriptionis reſervare ſatis habebat. Apparet tamen quatuor in libros tribuendam illam partem fuiſſe, quorum primus plantas comprehenderet, quæ imo mari naſcuntur, alter graminifolias, tertius muſcos terreſtres, poſtremus denique ſtirpes

eas,

eas, quibus dorsiferis nomen est. Hæc si pars accessisset, nihil hodie res herbaria fortasse haberet hoc uno opere perfectius. Quamquam ad existimationem hominis augendam vix quidquam, aut illud reliquum opus, aut aliud ingenii ejus monumentum attulisset; adeo & præstans erat & disseminata & stabilita apud omnes gentes, quæ his litteris delectantur, ejus opinio doctrinæ. Id ego multis confirmare possum testimoniis magnorum virorum, qui præsertim ei primum illud volumen edenti vel privatim vel publice gratulati sunt. Ex quibus Hermannus Boerhaavius medicorum omnis memoriæ facile princeps, cum orationem publice haberet, quæ formis impressa Batavis est, *mortalium omnium*, inquit, *in pervestigandis stirpibus sagacissimus P. A. Michelius, in quo uno illustrem Fabium Columnam, nobilem Cortusum, acutissimum Anguillaram renatos sibi jure Italia gloriatur*. Infra Boerhaavii laudem in medicis, sed in botanicis illo etiam nobiliores per eadem

tem-

tempora extiterunt Carolus Linnæus Svecus, & Guillelmus Sherardus Britannicus; quibus etiam usus est Michelius familiarissime. Quem ille prior tanti fecit, ut cum *de characteribus plantarum* scriberet librum separatim, nihil prope de graminibus sit dicere ausus, ut eam messem Michelio, quem oculatissimum vocat, integram reservaret; de quo etiam scripsit aliquando, eum unum inter homines vivere, qui de filicum natura posset agere luculenter. Sherardus vero, qui perdiu Smyrnis est commoratus, inde usque ad eum litteras dabat, ut multas herbarum species idoneis nominibus nuncuparet; qua sapientia unum eum præferre omnibus solebat. De quo illud est memoria dignissimum, quod cum Florentiam atque ad Cosmum III. salutatum venisset, hanc Michelio laudem apud Magnum Ducem adtribuit: equidem, inquit, omnes quotquot hodie vivunt, herbarios cognitos habeo, iisque omnibus hunc virum meo judicio antepono: itaque antequam ille discederet, sti-

pen-

pendium Michelio de pecunia regia est adauctum. Extant aliorum præterea litteræ admirationum ac laudum plenissimæ, eque disjunctissimis locis ad eum missæ, quibus sæculi ornamentum atque herbariorum coryphæum appellabant, deque rebus dubiis ad eum referebant. In queis nominandi sunt ex Helvetia Carolus Langius & Jac. Schewchzerus, ex Germania Jo. Henricus Linkius & Eglingerus; Hernicus de Heucher, & Jo. Ernestus Hebenstreit Poloni Regis medicus; Sebastianus Vaillantius & Franc. Chicoyneaus Galli; Jo. Martinus & Thomas Shau nobiles Angli; Jo. Burmannus Batavus; Jo. Amman Sarmata; & qui usque Mosca ejus amicitiam requisivit, omniumque Botanicorum principem nominavit Trau Got Gerber, homo iis in regionibus probe eruditus. Extant quoque doctorum Italicorum præclara de Michelio judicia, Vallisnerii, Morgagnii, Cyrillii, Gualterii, Leprotti, Blanchii iisdem epistolis consignata, quas ad eum de naturali historia scri-

ſcripſerunt. Quæ ſi ego ſingula collegero, alio genere ſcriptionis uti videar, quam quo ab initio conſuevi. Neque ea ipſa, quæ adhuc breviter attigi, neceſſaria fuiſſent, ſi non eſſet periculum, ne hunc hominem poſteritas minus admiretur quam meritus fuit. Solent enim plerique doctos viros magis ex numero, quam ex præſtantia librorum æſtimare: hic autem noſter tamdiu cum adverſa conflictatus fortuna, ad extremum morte non matura ſublatus, nihil præter unum librum magni reliquit; itaque laborandum fuit, ut ejus teſtimonia dignitatis foris quæreremus. Sed quoniam præcipuam ejus laudem hactenus in ſcribendo perſecuti ſumus, adtexemus ea, quæ etſi minus conſpicua fuerunt, reticeri tamen ſine injuria non poſſunt. Nam reliqua etiam naturæ miracula, præter plantas, felici admodum exitu veſtigavit. Habuit autem doctrinæ ſatis in phyſicis non e ſchola atque e magiſtro, ſed ex conſuetudine hominum doctiſſimorum, tum exterorum, tum civium,

qui

qui ea tempeſtate cœtus litterarios jam privatim, jam publice crebro habebant. His cum frequens intereſſet, neque ab erudito ſermone unquam antea diſcederet, quam ad finem eſſet deductus, celerrime autem arriperet quæ tradebantur, diligentiſſimeque memoria ſepiret, paullatim eam adeptus eſt facultatem, ut in quam ſe cumque diſputationis partem dediſſet, non ignobilis aut phyſicus aut medicus videretur. Sed hanc eruditionem nunquam ad oſtentationem contulit, ſed ad ſolidæ fructum doctrinæ. Quocirca ut in tanta plantarum cognitione, nunquam, ut plerique ῥιζότομοι ſolent, de uſu earum aut de viribus, medicorum ritu, diſputavit; ita in phyſicis ea ſibi tantum ſepoſuit, quæ ad hiſtoriam naturalem amplificandam pertinerent. Quo in genere non eſt prætereunda ejus de ſubterraneis ignibus conjectura, quos in monte arcis Radicofani æſtuaſſe ante omnem hiſtoriarum memoriam, atque erupiſſe arbitratus eſt; eique rei eſſe indicio quaſdam veluti

ti pumices circa montem disperſas, quæ vulcanicam, ut philoſophorum voce utar, produnt originem (1). Pari felicitate circa Vulſinium, ubi nunc lacus eſt, ſimilis vulcani olim craterem fuiſſe homo ingenioſus conjectabat. Digna etiam lectu ſunt quæ ille de teſtis, ceteriſque maris reliquiis, quæ montes habent, collegit; de quibus nihil adhuc philoſophi protulere, quod magnopere laudes. Multa quoque de piſcibus atque ſerpentibus, deque toto animalium genere inobſervata ceteris, retulit in commentaria, æreiſque tabulis deſcripſit. Plurima vero de fodinis, deque iis univerſe, quæ foſſili natura ſunt, ſupra cetera de lapidibus, diſſeruit & ſcripſit; ut dubitare poſſit nemo, quin ſummi etiam lithologi famam fuiſſet adepturus, ſi paullo diutius ſuperfuiſſet. Ac rerum, quas paulo ante dixi, omnium ſpecimina collegerat diligenter, muſeumque domi conſtruxerat eo in genere lautiſſimum. Id autem non magis ad ſuum nomen, quam

(1) Targ. Viaggi ec. Tom. VI. p. 248.

ad Etruriam illuſtrandam ſpectabat. Etenim incredibile dictu eſt quantopere hic patriam dilexerit, a qua naſcens non gradum, non dignitatem, non fortunas, atque, ut brevi complectar omnia, nihil prope, præter commune ſolum atque cœlum, erat conſecutus. Ob eam patriæ charitatem, conditiones eorum, qui ipſum alio evocabant, maxime utiles repudiavit, magnum vectigal ratus prodeſſe civibus, decori eſſe, quacumque poſſet in re, Florentiæ, Piſanæ Academiæ, atque Etruriæ univerſæ. Accedebat eo ſoli opportunitas, quo vix ullum eſſe uberius putabat ad éos fœtus procreandos, qui ſtudioſum naturalis hiſtoriæ poſſint tenere. Quare illud ferebat indigne aliarum regionum naturalem hiſtoriam eſſe contextam diligenter, Etruriæ non modo non inveniri, ſed ipſa ejus gramina rariora a Baccone aliiſque exteris, priuſquam ab indigenis, eſſe deſcripta. Ea re apparatus jamdudum fecerat maximos, ut ſiquid otii nactus eſſet aliquando, eam hi-

ſto-

ſtoriam ſaltem inchoaret. Sed quoniam videbat nihil tale ſine ſocietate multorum effici poſſe, neque eam fore ſatis, niſi ei quoque perennitas adjungeretur, cœpit homo privatus ac minime locuples de academia inſtituenda ſecum cogitare. Ea initio temeritas videri potuit; exitus tamen ſapientiam viri comprobavit (1). Ac primum ſermonibus quotidianis nonnullos impulit, ut hortulum ſtirpium ſelectarum conferi vellent ære collato: mox, ut eos cupidiores rei herbariæ cognovit, facile adduxit ut botanicam academiam inde conflarent, cui tum leges latæ, dies ad cœtus celebrandos decreti, hortus denique regius, quo uteretur, ab Etruriæ Duce attributus. Hæc Herbariæ Societatis, quæ Florentiæ eſt, prima rudimenta appellare poſſis, quæ in annum hujus ſæculi ſextum ſupra decimum incidere. Neque tamen eo faſtigio ſtetit diutius. Michelius enim, aliquot annis interpoſitis,

(1) V. de tota re Targion. In Præf. ad Catal. Plant. Horti Florentini.

auctor sociis fuit, uti non cum herbis rationem solum haberent, sed historiam naturalem, in primis quæ ad Etruriam pertinet, excolerent universam. Quamquam neque his finibus includi placuit sociorum industriam, sed quam latissime excurrere. Itaque ex anno cIↄIↄccxxxiv. quo leges novæ sancitæ, socii cooptati, academiæ instauratio solemni ritu atque elegantissima Antonii Cocchii oratione celebrata est, licuit cuique de medicis, deque physicis, quæcumque vellet, proferre; ad extremum cum & doctrina sociorum & operum dignitate satis crevisset, a Francisco Roman. Imperatore eo nomine primo, qui tum Etruriæ imperabat, ea sodalibus provincia tradita est; uti naturalem totius regni historiam adornarent. Ita Michelii consilium aliquando valuit. Cujus academiæ etsi laus communicanda cum multis est, nullius tamen est propria magis, quam ejus qui ceteros in eamdem impulit voluntatem; qui viridarium unde discerent, ubi cœtus haberent, tanta cu-

ra

ra inſtruxit; qui muſeum ad comparandam hiſtoriam non ſibi magis quam ſodalibus voluit patere; qui & ipſe in collegio præclara ſemper & nova, magna cum approbatione coronæ totius recitavit, & ut reliqui facere idem poſſent ſemper eſt conatus. Quas ob res eum & vivum Sodalitas venerata eſt, & mortuo tanquam fundatori ac reſtitutori ſuo parentavit. Hiſce rebus cum apud ſuos, atque etiam exteros in magna eſſet gloria, cumque ad illud priſtinum ſtipendium novæ identidem acceſſiones eſſent factæ, ut adverſam videretur denique viciſſe fortunam, conſtituerat reliquam vitam operi, quod erat pollicitus, poliendo aſſignare, eamque ob cauſſam iter in Galliam, de quo commemoravi ſupra, deſtinaverat. Cum repente liber de Venetis plantis Hieronymi Zannichellii poſthumus prodiit, in quo nonnulla erant in Michelium aſperius dicta, quæ hominis fidem in plantarum generibus conſtituendis in ſuſpicionem vocarent. Ea Petrus Antonius perſuadere ſibi

non poterat ab Auctore libri esse profecta; eratque opinio Jo. Jacobum Hieronymi filium, qui e schedis paternis opus collegerat, ac multa suppleverat de suo, Scriptori *Novorum generum plantarum* patris nomine maledixisse. Nam senior ille Zannichellius conjunctissime cum Michelio ad senectutem ultimam vixerat, eumque ita Michelius observarat, ut nemo par amicorum videre potuerit, qui amicitiæ jura sanctius coluissent. Ejus rei testes habeo etiam litteras paullo ante obitum datas Hieronymi manu, tanta benevolentia conscriptas, ut nihil supra. Filius vero Michelium violabat non odio suo, sed ut Pontaderæ se commendaret, quem sciebat ab eo propter quasdam suspiciones jampridem esse alienatum. Utcumque res forent, Michelius insuetus male audiendi, opinione omnium majorem cepit animo dolorem. Montem Pessulum cogitabat; mutat subito consilium: impetrat ab Societate Botanicorum, ut in Montem Baldum abire sinant, verbo quidem, ut ex eo jugo, quod est herbiferum

ma-

maxime, messem in regios hortos lectissimam referat; re autem, ut cum Venetorum litora atque agros relegerit, defensionem contra adversarii crimina efficere possit pleniorem. Voti compos factus, Florentiam redux, dum defensionem comparat, primum gravedine affligitur, cujus caussam in incommoda itineris, quod fecerat alienissimo tempore, medici contulerunt. Eam dum negligit, in pleuropneumoniam implicitus diem obiit supremum postr. Kal. Jan. anno cIↃIↃccxxxvii. æt. suæ lvii. Elatus est luctu prope publico. Justa quam apparatissime persoluta a duobus collegiis, Columbario & Botanico. Laudatione funebri ornatus a viro docto, ejusque carissimo discipulo Antonio Cocchio. Ex ea pleraque in hanc vitam transtulimus, nonnulla ex Maffeii elogio, atque ex Lamio, qui hunc hominem & historia & carmine ornavit. Maxime vero iis libris in scribendo usi sumus, quos de Michelii vita rebusque gestis cl. V. Jo. Targionius Medicinæ Doctor, & Magliabechianæ Bibliothecæ

Præ-

Præfectus italice composuit. Is autem est, qui cum Michelio auctum esset stipendium ea conditione, ut alumnum optaret quemcumque vellet, atque ita instituerit, ut eidem muneri succedere aliquando posset, a doctissimo viro lectus, & per quinquennium institutus, rem herbariam Florentiæ a Michelii obitu publice docet. Qui & multa in editis libris posuit, quæ Petri Antonii memoriam illustrant; & commentarios de ejus vita scripsit separatim testatissimis documentis plenos ac refertos, quos mecum vir humanissimus pro suo in Michelium studio communicavit. Fuit etiam hoc ejus pietatis exemplum, quod Magistri tam bene de se meriti bibliothecam, museum, scripta denique universa (quæ homini pauperrimo satis amplæ divitiæ fuerant) distrahi ab hæredibus non est passus, emitque centussibus circiter mille quadringentis. Atque hunc habuit exitum vitæ homo naturalis historiæ, ac præsertim rei herbariæ longe peritissimus, ad quem non natus, sed ab ipso rerum omnium pa-

ren-

rente atque auctore Deo unice factus videbatur: ita in eum omnia convenerant, quæ in hac disciplina maxime sunt optanda; ingenium acre, sagax, acutum, ut plurimis inter se rebus singularibus comparatis, ideas inde seligeret, quæ ad genus spectarent, tum gradus animadverteret dissimilitudinum ad species describendas easque pulchre nominandas; judicium vero ita ab natura fictum, ut nihil præjudicati afferret ad inquisitionem veritatis, verumque a falso, naturali quodam sensu & quasi gustu, dijudicaret; firma rerum atque imaginum recordatio, ut in tot millibus plantarum minimas quasque differentias mente comprehensas teneret, quibus invicem distant: ad hæc vehemens quidam ardor amoris, paratissimusque animus, ut naturam rerum exploraret, ad omnes rerum asperitates atque adeo vitæ pericula subeunda; firma corporis valetudo, quæ æstus, algores, vigilias, molestias itinerum facile pateretur; acies peracuta, ut cum herbida in loca venisset, statim in oculos incurrerent

rent plantæ quæque ſelectiores; multa præterea, quæ ſuis in locis ſunt relata. Ad hæc naturæ bona plurima adjecit ornamenta virtutis. Nam & comis in ſermone, & amicorum commodis diligentiſſime ſerviens: parcus vero in omni vitæ cultu, mirificeque abſtinens, nullas ut optimatum colere tamicitias, niſi ſtudiorum atque doctrinæ cauſſa. Verecundia tanta fuit, ut cum eum exteri omnes, qui Florentiam ventitabant, propter eruditionis famam convenirent, neque ullus ei dies ab ejuſmodi ſalutationibus vacuus eſſet, ſubterfugeret ipſe tales plerumque honores; nedum ſe, ut tam multi ſolent, ultro venientibus venditaret. Invidiam vero, illam mediocrium hominum labem, ne de facie quidem novit, egregie liberalis ſive præconiorum, ſive etiam rerum ſuarum. Nemo ab eo ſtirpes, aut earum ſemina, aut eruditi illius theſauri gazam petiit, qui non impetravit; nemo dubitationes ad eum retulit, quicum ille non ſuas notiones ac reperta communicarit. Sic ſe gerendo mini-

nime eſt mirandum, ſi ejus vita tam multis fuit jucunda, & mors acerba. Itaque habuit ab amicis atque ab virtute, quod fruſtra a conſanguineis atque a fortuna requiſiſſet, ſplendidum ad S. Crucis monumentum opere marmoreo, titulo, ut ab Cocchio expectari debuit, pereleganti. Ejus tituli exemplum, pariterque operum catalogum, quemadmodum conſuevi, lectoribus repræſentabo.

PETRUS ANTONIUS MICHELIUS
VIXIT ANNOS LVII. DIES XXII.
IN TENUI RE BEATUS
OMNIS HISTORIAE NATURALIS PERITISSIMUS
MAGNORUM ETRURIAE DUCUM HERBARIUS
INVENTIS ET SCRIPTIS UBIQUE NOTUS
AC PROPTER SAPIENTIAM
SUAVITATEM PUDOREM OPTIMIS
QUIBUSQUE AETATIS SUAE EGREGIE CARUS
OB. IV. NON. IAN. CIↃIↃCCXXXVII.
AMICI AERE CONLATO TITULUM POSUERE.

OPE-

OPERA EDITA.

RELAZIONE dell' Erba detta da' Botanici Orobanche, e volgarmente succiamele, fiamma, e mal d'occhio, che da molt' anni in quà si è soprammodo propagata quasi per tutta la Toscana; nella quale si dimostra con brevità qual sia la vera origine di dett' erba, perchè danneggi i legumi, e il modo di estirparla; scritta a benefizio degli agricoltori Toscani: Firenze nella Stamperia Granducale per li Tartini, e Franchi 1723. *in* 8.

NOVA PLANTARUM genera juxta Tournefortii methodum disposita, quibus Plantæ MDCCCC. *recensentur, scilicet fere* MCCCC. *nondum observatæ, reliquæ suis sedibus restitutæ; quarum vero figuram exhibere visum fuit eæ ad* DL. *æneis tabulis CVIII. graphice expressæ sunt; adnotationibus atque observationibus præcipue fungorum, mucorum, affiniumque plantarum sationem, ortum & incrementum spectantibus, interdum adjectis. Regiæ Celsitudini Joannis Gastonis Magni Etruriæ Ducis auctore Petro Antonio Michelio Florentino ejusdem R. C. Botanico: Florentiæ* 1729. *typis Bernardi Paperini.*

Cl. PETRI ANTONII MICHELII Catalogus Plantarum Horti Cæsarei Florentini opus posthumum jussu Societatis Botanicæ editum, continuatum, & ipsius Horti historia locupletatum ab Jo. Targionio Tozzetio Flor. Medic. D. Rei Herbariæ Prof. Pub. Bibliothecæ Pub. Magliabechianæ Præfecto, & S. R. I. Academiæ naturæ Curiosorum Collega: Florentiæ 1748. *ex typographia Bernardi Paperini in fol.*

RELAZIONE del viaggio fatto l' an. 1733. *per diversi luoghi dello Stato Senese dal Micheli e dal Dott. Gio. Batista Monnajoni distesa dal*

dal medesimo Micheli con annotazioni di Gio. Targioni Tozzetti suo scolare: edidit idem Targionius in volum. VI. operis, quod inscripsit: *Relazioni d' alcuni viaggi fatti in diverse parti della Toscana per osservare le produzioni naturali e gli antichi monumenti di essa. Firenze* 1754. *in* 8. *p.* 175. Ibidem extat etiam:

RELAZIONE di un Viaggio fatto da Pier Antonio Micheli nell' estate dell' anno 1734. *per le montagne di Pistoja. p.* 251.

—— *Altre Produzioni Naturali registrate da Pier Antonio Micheli in una breve relazione d' un viaggio da se fatto l' an* 1728. *d' ordine della* Società *Botanica per la Valdelsa e per le Maremme di Volterra*: Ibid. pag. 267.

LISTA d' alcuni Fossili della Toscana, che conservava nel suo Museo Pier Antonio Micheli distesa da lui medesimo. Ibid. p. 439.

OBSERVATIO de Manna & Gummi mori fructu nigro C. B. Pin. Extat in volumine IV. ejusdem operis p. 333.

OPERA INEDITA.

Libet horum operum indicem, qualem a Targionio accepi, hic exscribere, qui si cuipiam nimis longus videbitur, sciat hominem doctrina & diligentia summum nunquam illa longa putasse, quæ commemoranda judicavit. Novi etiam alios judicio excellentes homines, quibus, ut Aristophani Archilochi Jambus, sic index longissimus quisque optimus videtur.

Opera ad naturalem Historiam universam spectantia.

Ristretto del primo Volume della Toscana illustrata, ovvero sia Istoria Generale, nella

quale si dimostra tutte le cose naturali, che in essa, e nell' isole adjacenti spontaneamente nascono, come Animali, Alberi, Erbe, Pietre, Metalli, e Terre, de' Monti, Selve, Spelonche o Antri, de' Fiumi, Laghi, Stagni, Paludi, Bagni, Acquitrini e Fonti, e generalmente di tutte l' Acque, con l' etimologie, e spiegazione dei nomi, non solo volgari, come Greci, e Latini, con lo scoprimento di molte cose non da altri Autori osservate. Presentato al Serenissimo Granduca Cosimo III. Vol. I. in fol. Opus est non magni momenti, & ante annum 1706. a Michelio conscriptum, antequam scilicet a Magno Duce Botanici sui Titulo cohonestaretur. Continet autem enumerationes, seu breves descriptiones quarumdam rerum naturalium, puta Plantarum, Animalium, Fossilium; Montium item, Fluviorum ec. quorum nomen a littera A. incipit, plerumque e variis, non tamen melioris notæ, auctoribus decerptas.

Opera ad rem Herbariam potissimum pertinentia.

Corollarium Institutionum Rei Herbariæ juxta Tournefortianam Methodum dispositum, in quo Plantæ plusquam bis mille omnino novæ reperiuntur, nec hucusque ab alio Auctore descriptæ, quæ in Etruria, & in Montibus, & in Insulis adjacentibus, tum vero in amœnis viridariis Regiæ Celsitudinis Cosmi III. Magni Ducis Etruriæ observatæ fuerunt. Talem præsefert titulum, & circa idem tempus cum superiori opere conscriptum est. Plantas in hoc Volumine recensitas, quæ revera novæ sunt, ad alia sua opera transtulit Michelius, proindeque Corollarium istud inutile remansit.

Adversaria Tractatus de Orobanche, vernacu-

cula lingua anno 1723. *editi* . In his autem ſchedis, præter nonnulla variantia, & in Opere impreſſo prætermiſſa, notatu dignæ ſunt Ephemerides Obſervationum, & experimentorum accuratorum, quæ Michelius jam ab anno 1712. inchoavit, ad perſcrutandam diverſarum Orobanches ſpecierum naturam, vegetationem, fœcunditatem ec. Addere liceat obſervationes iſtas a Michelio (Philoſophicis ſtudiis nunquam initiato, ſed ingenium ad Philoſophiam comparatum ſortito) perfectas fuiſſe tali methodo, diligentia, & critice, ut nil amplius deſiderari poſſet vel ab homine, qui in Philoſophiæ ſtudiis conſenuiſſet.

Ad aureum Opus, cui Titulus *Nova Plantarum Genera juxta Tournefortii methodum diſpoſita Pars Prima* editum Florentiæ An. 1729. pertinent ſequentia mss., in quibus multa ad idem illuſtrandum locupletandumque continentur.

Quatuor primæ breves, & nonnihil diverſæ ideæ Operis, quod deinde locupletius, & ſplendidius typis edidit: in ipſo autem juventutis initio a Michelio conſcriptæ ſunt. Ex his una titulum præfert: *De Fungis Terreſtribus, & Arboreis, Edulibus & Venenatis, Diſſertationes viginti, facili ac perſpicua methodo digeſtæ cum Fig.* Eſt Catalogus per genera & ſpecies digeſtus: genera autem xx. ſunt, quæ Diſſertationes appellat. Alia vero: *Novæ, & accuratæ Fungorum methodi ſpecimen*. Vol. I. in 4. cum Fig.

Plura adverſaria ejuſdem *primæ partis novorum generum plantarum*.

Volumina quatuor in fol. & unum in 4. in quibus adnotavit quæcumque variis temporibus obſervare ipſi contigit, circa Fungorum, Agaricorum & congenerum Plantarum figuram, ſtructuram, generationem, &c. inſertis rudibus figuris.

Diſſertatio de ſeminibus, & vegetatione Fungorum, Agaricorum, Mucorum, & affinium Planta-

ta.

tarum, cujus exemplum Cl. Guilielmo Sherardo amico ſuo præcipuo transmiſit. Huic theoremati demonſtrando ſe ſe primum applicuit an. 1710.

Obſervationes quindecim accuratiſſimæ circa Fungorum, Lycoperdorum, Phallorum, & Mucorum quorundam vegetationem, & fructificationem, die 26. Septembris an. 1717. inchoatæ, & mira diligentia ad finem uſque Octobris continuatæ.

Alia diverſa, ſed elaboratior, & locupletior diſſertatio de vegetatione & fructificatione Fungorum, Mucorum, Tuberum &c. Præfationis inſtar ad novam methodum Fungorum, aliarumque affinium Plantarum, quæ illatenus imperfectæ vocabantur. A decem antea annis ſeſe obſervationes has inchoaſſe notat Michelius, & jam ſexcentas circiter talium Plantarum ſpecies collegiſſe: ſubdit varia experimenta a ſe accuratiſſime peracta, ſed diverſa ab iis quæ cum Publico communicavit pag. 136. & ſeq. *Novorum generum Plantarum*.

Tractatus de Fungis & Agaricis agri Florentini, Coſmo a Caſtellione Marchioni & Patr. Flor. Fautori ſuo præcipuo dicatus. Continet plures eorum figuras a Thoma Chellinio ruditer expreſſas, & brevem methodicam diſpoſitionem protypam illius, qua in impreſſo Opere uſus eſt: in fol.

Codex alius in fol. continens figuras plures Fungorum, Agaricorum & affinium Plantarum, ab eodem Chellinio minus ineleganter pictarum.

Codices II. in fol. exhibentes figuras plurimas earumdem plantarum, ſed elegantiſſimas, & veris plantis per quam ſimillimas, a Bonechio expreſſas. Horum unus comprehendit etiam Icones (anepigraphas tamen) Fungorum, Agaricorum &c. depromptas ex libris affabre pictis a Franc. Sterbeck, Jacobo Breynio, & Jo. Jacob.

Dil-

Dillenio, quos Guil. Sherardus e Bibliotheca sua cum Michelio communicavit.

Icones minus elegantes Fungorum, Agaricorum, & affinium Plantarum omnium in prima parte novorum Generum descriptarum, in singulis paginis singulæ. Has methodo a Michelio ibidem servata digessi in sex volumina.

Descriptio formæ, colorum, vegetationis, &c. earumdem fere omnium plantarum, in impresso Opere omissa: Anno 1729. absoluta vol. I. in f.

Appendix altera ad nova genera Plantarum, in qua nonnulla adhuc nova genera, & novæ editorum generum species recensentur: An. 1735. conscripta. Vol. 1. in fol.

Icones eleganter calamo expressæ variarum specierum Marsileæ, Marchantiæ, Jungermanniæ, & Musci. Vol. 1. in 4.

Icones variorum Lichenum suis coloribus expressæ a Thoma Chellinio. Vol. 1. in f.

Pars altera novorum generum Plantarum, cui Titulum hunc præfigere meditabatur. *Novorum Generum Plantarum juxta Tournefortii methodum dispositorum Pars altera, qua plantæ recensentur Graminifoliæ omnes flore bipetalo, tum submarinæ, quæque in mari natæ terra inveniuntur, Diluvianæ dictæ, tum Musci terrestres, aquatici, arboribusque hærentes, nova, dilucida exactaque Methodo disposita, veris earum floribus, seminibusque demonstratis, omnes fere MM. quarum D. nondum observatæ, CCC. vero Tabulis æneis CXX eleganter expressæ Auctore Petro Antonio Michelio Magni Etruriæ Ducis Botanico. Florentiæ MDCCXXXI. Typis Bernardi Paperinii, Typographi R. C. Magnæ Principis Viduæ ab Etruria prope Ecclesiam Sancti Apollinaris, sub Signo Palladis, & Herculis: Superiorum permissu.* Quoniam vero tractandarum rerum moles ipsi quotidie in immen-

ſum excreſcebat, in plures Tomos ſecundam hanc Partem diſtribuere ſecum decreverat.

Secundam itaque novorum generum Plantarum partem plantis ſubmarinis tantummodo deſtinavit. Proinde Adverſaria & Schedæ ad ipſam Plantarum ſubmarinarum Hiſtoriam pertinentes hæ ſunt. Diſtributio methodica plantarum marinarum, ſibi ad annum uſque 1729. cognitarum, in 60. circiter genera. in fol.

Schedæ plures, in quibus multa a ſe eadem in diſtributione olim poſita ſupplentur, mutantur, emendantur; & novæ Plantæ deſcribuntur.

Adverſaria in quibus obſervationes ſuas circa flores & fructus earumdem Plantarum marinarum deſcripſit.

Sexaginta Tabulæ æneæ characteres genericos, & figuras plurimarum ex ipſis plantis exhibentes.

Figuræ 113. plantarum marinarum textura ſua membranas, vel mucum æmulantium nativis coloribus a Th. Chellinio expreſſæ.

Novorum generum plantarum Pars tertia, Agroſtographiam, ſive Graminifoliarum plantarum deſcriptionem, & methodicam diſtributionem promens, cujus ſpecimen exhibuit ipſe Michelius N. G. P. P. 1. pag. 35. Complectitur autem ſequentia mss.

Methodica diſtributio anno 1729. conſcripta.

Schedæ plurimæ, in quibus nova obſervata adnotavit, priora emendavit, & ſupplevit.

Deſcriptiones plurimarum hujus Familiæ Plantarum.

Figuræ nonnullarum ex iiſdem Plantis, & præſertim characterum genericorum.

Novorum generum plantarum Pars quarta, ſive Muſcorum terreſtrium Hiſtoria, & methodica diſtributio. Circa idem tempus Agroſtographia conſcripta eſt, & ſimilibus ſupplementis, adverſariiſque diſtincta.

Ico-

Icones variorum Muſcorum calamo adamuſſim expreſſæ. Vol. 1. in 4.

Novorum generum plantarum Pars quinta, exhibens methodicam diſtributionem plantarum Dorſiferarum vulgo dictarum, ſive Claſſis XVI. Tournefortianæ.

Catalogus Plantarum circiter 2500. in Agro Florentino (nempe per 12. ab Urbe Florentia quaquaverſum milliarium diſtantiam) ſponte naſcentium, in ſex Volumina a me diſtributus. Priora quinque continent Catalogum eumdem alphabetica ſerie digeſtum; ſextum vero methodicam diſtributionem, & deſcriptionem plurimarum ſpecierum Quercus, Ilicis, Ulmi, Philyreæ, ſimiliumque arborum. Opus hoc in ipſa juventute inchoaverat Michelius; annis autem 1730. & 1731. recenſuit, & plurimarum Plantarum graphicis deſcriptionibus locupletavit; verum plures ex his deſcriptionibus incompletæ ſunt, & lacunis ſcatent.

Ad hoc opus pertinent ſequentia Mss

Catalogo delle Piante, che di meſe in meſe ſpontaneamente naſcono nell' ameno Giardino di Boboli, cominciato il dì 1 di Settembre 1716. *in* 4. Opus juvenile, & parvi momenti.

Obſervationes circa plurimas Ulmorum varietates, cum rudibus earum Florum iconibus in fol.

Deſcriptio abſolutiſſima Fungorum, Agaricorum, & affinium Plantarum omnium in Agro Florentino naſcentium in fol.

Plures Figuræ earumdem Plantarum Agri Florentini, a Chellinio elaboratæ, quas juxta chartæ, in qua expreſſæ erant, magnitudinem, in quatuor Volumina diſtribui.

Figuræ elegantiſſimæ omnium Orchidis, & Helleborines ſpecierum in eodem Agro naſcentium, adjectis nominibus: in fol.

Catalogi quinque Plantarum Horti ficci fui. Omnes alphabetico ordine digesti sunt, & inter se admodum variantes, successive nempe renovati, & nominibus Plantarum subinde inventarum locupletati. Unus titulum præfefert: *Elenchus Rariorum Plantarum Horti ficci Micheliani*, Duo: *Elenchus Rariorum Plantarum Italiæ, & Germaniæ*; Reliqui anepigraphi sunt. Vol. 5. in fol. Species Plantarum 1051. circiter complectuntur, & procul dubio post annum 1723. conscripti sunt, cum in iis Synomina Horti Pisani usurpet.

Quantum conjicere licet, observationes suas herbarias tali ordine publici Juris facere olim meditabatur Michelius, præfixo titulo. *Catalogi Plantarum Horti ficci fui*: sed anno 1733. majus & aureum opus molitus est, ad cujus editionem subsidia Fautorum postulavit, sequenti Programmate, quo titulum Operis, & leges subscriptionis, ut ajunt, proposuit. *P. Antonii Michelii, Magni Etruriæ Ducis Botanici, Enumeratio quarumdam Plantarum sibi per Italiam & Germaniam observatarum, quæ scilicet Scriptoribus vel prætermissæ fuerant, vel non suis sedibus positæ, vel confusæ aut male distinctæ, vel quarum Natalis locus indictus: Adjectæ adnotationes quibus ea omnia supplentur, & emendantur. His adnectitur Testaceorum aliquot Terrestrium, ac Fluvialium, juxta recentioribus Scriptoribus usitatam methodum dispositorum Elenchus, quorum pleraque nunc primum describuntur, omnia vero æneis Tabulis Chalcographi arte expressa exhibentur. Florentiæ excudebat Bernardus Paperinius MDCCXXXIII. Hoc Opus prodibit ante finem Octobris proximi MDCCXXXII. in folio, ejusdem Magnitudinis cum prima Parte Novorum Generum Plantarum, a nobis elapso anno MDCCXXX. edita. Ad calcem hujus series accedet Testaceorum ferme C,*

iis

iis scilicet constans quae terra, & iis quae dulci aqua vivunt, methodo, ut visum est, optima distributis, & affabre delineatis in Tabulis aliquot aeneis. maximamque partem nondum descriptis, e Museo nostro depromptis. Pretium editi Libri erit XXXVI Denariorum Romanorum, quos Julios vocant Constabit vero non majoris, quam XXX, qui hos ante id tempus auctori dederint.

Ut igitur graviſſimam hanc Provinciam aggredi poſſet innumeras Horti ſui ſicci plantas, quas alphabetico nominum genericorum ordine illatenus digeſſerat, mihi diſtribuendas juxta Tournefortianam Methodum, æſtate anni ejuſdem 1733. commiſit. Quatuor circiter menſium ſpatio, lubenter, & Michelio probante diſtributionem hanc abſolvi. Ipſe vero manum operi admovit, & obſervationes ſuas omnes, inventaque omnia Botanica juxta Tournefortianam methodum exponere aggreſſus, & per duos ferme annos proſecutus eſt, donec improbi laboris pertæſus, aliis operibus moliendis ſe ſe applicuit.

Ingentem itaque Adverſariorum præclari hujus Operis molem nactus ego, non ſine tædio, in ſuas Claſſes digeſſi, invicem ſcrupuloſe contuli, duplicatas & inutiles Schedas rejeci, variantia & accuratius obſervata ad ſua loca retuli, tandem plurium menſium ſpatio nitide exſcribi curavi, & plura volumina efformavi. Ad hoc etiam opus pertinent:

Adverſaria duo diverſa, ſeu Commentarii, in quos referebat quicquid in dies obſervare ipſi contingeret, circa Plantarum figuras, & præſertim circa ipſarum flores & fructus.

Volumen unum in quarto, & aliud in octavo, in quibus varias Plantarum Icones ac potiſſimum florum & fructuum, calamo adamuſſim exprimi curavit.

Lista di tutte le Frutte, che giorno per giorno dentro all' anno son poste alla Mensa del Sereniss. Gran Duca di Toscana. Occasionem conscribendi hujus Operis Michelio præbuit tum ingens suavissimorum Fructuum copia, quibus undique advectis Cosmus III. Magnus Dux Florentinos agros ditavit; tum vero quæstiones de ipsorum fructuum natura, quas inter prandendum Magnus Dux proponebat Michelio Regiæ Mensæ frequenter assistenti. Opus hoc, ut ex primis Adversariis collegi, non magnæ molis erat, & non adeo multas fructuum horum species complectebatur: Successivis temporibus plurimum locupletavit Michelius, & extendit ad omnia fructuum edulium genera, quæ in Foro Olitorio Florentino venui exponuntur, vel in Hortis & Agris Urbi circumfusis coluntur, servato ordine eorum maturitatis. Adversaria hæc omnia diligenter recensui, nitide exscribenda curavi, & in sequentia peculiaria Capita distinxi, Sunt nempe Catalogi, & descriptiones.

Melonum, vulgo *Poponi*, e *Zatte* sp. 126. cum Fig. 20.

Melopeponum sp. 5. cum Fig.

Anguriarum, vulgo *Cocomeri* sp. 2.

Cucurbitarum, vulgo *Zucchette*, sp. 2. cum Fig.

Fragorum, vulgo *Fragole*, sp. 10.

Fabarum, vulgo *Baccelli*, sp. 3.

Piforum, vulgo *Piselli*, sp. 7.

Ficuum sp. 91. cum Fig. 37.

Nucum Iuglandium, vulgo *Noci*, sp. 37.

Corylorum, vulgo *Nocciuole*, sp. 8. cum Fig. 3.

Castanearum, vulgo *Castagne*, e *Marroni*, sp 44.

Mororum, vulgo *More di Moro* sp. 9.

Berberidum sp. 1.

Rubo-

Ruborum, vulgo *More Prugnole, o di Macchia*, e *Lamponi* sp. 6.

Prunorum, vulgo *Susine*, sp. 54. cum Fig 20.

Armeniacarum, vulgo *Albicocche*, sp. 11.

Persicarum, vulgo *Pesche*, sp 44.

Cerasorum. vulgo *Ciliege*, sp. 45. cum Fig. 9.

Amygdalarum, vulgo *Mandorle*, sp. 100., cum Fig 94.

Ziziphorum, vulgo *Giuggiole* sp. 5.

Pyrorum, vulgo *Pere*, sp. 232., cum Fig. 128.

Cydoniorum, vulgo *Pere*, e *Mele Cotogne* sp. 3.

Sorborum sp. 27. Fig. 27.

Malorum, vulgo *Mele*, sp. 56. cum Fig. 6.

Punicorum, vulgo *Melagrane* sp. 4.

Nespilorum vulgo *Nespole*, e *Razzeruole*, sp. 10.

Trattato delle Viti, che si coltivano non solo nel Piano e Distretto di Firenze, ma anche per tutta la Toscana, sì nostrali che forestiere. In hoc Opere descripsit Michelius 220. species seu varietates vitium a se observatas, inter quas eminent 150. circiter, e variis Europæ & Asiæ Provinciis delatæ, & in Latifundiis Serenis. Cosmi III. Magni Ducis potissimum cultæ, e quibus celebratissima tunc temporis exprimebantur vina. Methodo Alphabetica nominum vulgarium eas digessit, Folia & Botros accurate descripsit, Vineas, & Agros in quibus colebantur, & Regiones etiam e quibus petitæ fuerant, adnotavit. Vol. 1. in fol. cum Icone Uvæ *Soderino* dictæ in fol.

Varia adnotata successivis temporibus ad vitium Historiam spectantia.

Icones satis nitidæ 46. specierum, seu varietatum Oleæ Sativæ, quæ in Agro Florentino coluntur, adjecto earum Catalogo: in fol.

Catalogus & descriptio Malorum Aureorum, quæ in Viridariis Florentinis, ac potissimum Regiis colebantur An. 1733. 34. & 35. Sunt autem Aurantiorum sp. 74 cum Iconibus, Citrorum sp. 17. cum Icon. & Limonum sp. 80. cum Iconibus 63.

Lista di tutti gl' Agrumi, che sono dipinti ne' quattro quadri del Casino della Real Villa di Castello, detto la Topaja. Species sunt n. 116. Tabulæ hæ a Scacciato, & Bimbio egregie pictæ, in Villa Regia, *Careggi* dicta, adservantur.

Liste e descrizioni di Agrumi osservati nei Giardini dello stato Veneto nel 1736.

Illustrationes Librorum XV. de Plantis Andreæ Cæsalpini. Conatus est in hoc Opere Michelius, singulis plantis a Cæsalpino descriptis nomen technicum adjicere, desumptum ex Tournefortii Inst. R. H, & aliis recentioribus Auctoribus in fol.

Illustratio Horti sicci Andreæ Cæsalpini, singularum 368 specierum Plantarum, quarum sceleta agglutinata continet, methodicam nomenclaturam exhibens in fol.

Animadversiones aliquot in Aloysii Anguillaræ Simplicia in fol.

Animadversiones aliquot in Botanicon Parisiense Sebastiani Vaillantii, in fol.

Animadversiones aliquot in Jacobi Barrelieri Plantas per Galliam Hispaniam & Italiam observatas, Opus Posthumum a Cl. Antonio de Jussieu digestum & editum, in fol.

Apologia in Julium Pontaderium Rei Herbariæ Profess. P. Patavinum in fol.

Animadversiones in ipsius Compendium Tabularum Botanicarum in fol.

Riflessioni intorno al' opinione dell' Eccell. Sig. Dott. Giulio Pontaderi sopr' all' Ulva. ed il Ca-

Carie, esposta in una sua Lettera responsiva ad alcuni Quesiti dell' Eccell. Sig. Dott. Tilli, annessa al suo Catalogo delle Piante dell' Orto Pisano. in fol.

Animadversiones in Librum, cui titulus: *Istoria delle Piante, che nascono nei Lidi intorno a Venezia; Opera Postuma di Gian Girolamo Zannichelli, accresciuta da Gian Giacomo Figliuolo dell' istesso, in fol.*

Catalogi plures Plantarum diversis temporibus cum Amicis communicatarum; nempe:

Nota di Piante mandate al Sig. Gio. Giacomo Scheuchzero l' an. 1715.

Catalogi duo Fossilium variorum, eidem Scheuchzerio transmissorum An. 1716.

Altra Nota di Piante mandate al medesimo Scheuchzero l' Ann. 1717.

Catalogus Rerum Naturalium (e Regno Minerali) *quæ Clariss. Jac. Petiverio mittuntur ann.* 1717.

Due Cataloghi di Piante mandate al Sig. Guglielmo Sherard nel 1722.

Catalogus Plantarum a Michelio repertarum, quas Michael Angelus Tillius Catalogo suo Horti Pisani inseruit.

Catalogo delle Piante trasmesse in Inghilterra al Sig. Guglielmo Sherard nel mese d' Ottobre 1725. sunt n. 186.

Nota delle Piante mandate al Sig. Sherard nel mese di Gennajo 1727. sunt n. 35.

Alii Catalogi Plantarum ad eumdem Sherardium transmissarum, sine anni nota. Ipsorum primus continet Plantas 86., secundus 42. tertius 30., quartus 12., quintus 244., sextus 182., septimus 142., octavus 63., nonus 138., & decimus 71.

Nota earum rerum, quæ in perexigua Capsula, & in Libro Plantarum depictarum D. Bal-

di

di continentur Specimina erant Fructuum & Seminum Mucorum, Tuberum, Fungorum &c. Microscopio observanda, quæ eidem Sherardio misit.

Nota delle Piante mandate l' An. 1733. *a* 22. *Aprile al Sig. Gio. Burmanno d' Amsterdam.*

Nota di Piante mandate il dì 26. *Aprile* 1736. *al Sig Gio Filippo Breynio a Danzica, ed al Sig Giovanni Amman a Pietroburgo.*

Nota di semi mandati a Londra al Sig. Carlo du Bois, l' an. 1736. *nel mese di Dicembre.*

Nota di Semi mandati l' an. 1736. *nel mese di Dicembre al Sig. Boerhaave.*

Catalogi plures Plantarum diversis annis in Horto Florentino cultarum, sub Auspiciis Societatis Botanicæ, ab an. scilicet 1719 ad 1736. Vol. 4. in fol. & 2. in 4.

Opera ad Philosophiam & Anatomen Plantarum pertinentia.

Adversaria Dissertationis de Plantarum generatione & nutritione, de fructificatione item Fungorum, & adfinium Plantarum, deque earum vegetatione conscripta sunt post an. 1729. nempe post edita Nova Plantarum Genera. Theoremata præcipua Opusculi hujus cum Publico communicavi, in Hodoeporici mei ed. 1. Tom. 2. p. 244. ed. 2. Tom. 3. pag 56.

Observationes circa diversas Figuras Salium essentialium Plantarum, an. 1728. inchoatæ. Vol. 1. in fol.

Opera ad Zoologiam pertinentia.

Catalogus Avium, quæ in Etruria potissimum vivunt, in fol.

De-

Deſcriptio duorum Anguium a ſe obſervatorum in Agro Florentino, cum Figuris elegantiſſimis a Bonechio expreſſis.

Deſcriptio item duorum Anguium, in Apulia inter Foggiam & Manfredoniam repertorum, cum rudibus Iconibus. Vol. 1. in fol.

Deſcriptiones & Figuræ plurium Exanguium, Papilionum videlicet, Tinearum, Aranearum, Crabronum, Locuſtarum, Scarabeorum, Limacum, Ranarum &c. duobus voluminibus in fol. comprehenſæ. Deſcriptiones aliquæ notam præſeferunt Annorum 1717. 1729. & 1735.

Icones Inſectorum variorum, quas a Thoma Chellinio exprimi curavit, Vol. 2. in fol.

Deſcriptio abſolutiſſima mirabilis artificii, quo Cantharides quædam peculiares ova ſua deponunt in foliis Pyrorum, ob corroſum prius ab ipſis petiolum areſcentibus, & certa quadam lege convolutis. Adiecta eſt figura ſatis elegans.

Deſcriptiones quorumdam Piſcium Fluviatilium, & Lacuſtrium Etruriæ, cum figuris elegantiſſimis a Bonechio expreſſis in fol.

Catalogi varii Piſcium fluviatilium Etruriæ, & Maris Tyrrheni.

Huc referendæ ſunt Deſcriptiones, & rudes Icones variorum Piſcium, & Cruſtaceorum, ſparſim in Adverſariis adnotatæ.

Catalogus Teſtaceorum Muſei ſui, Liſteriana primum methodo, deinde Langiana, demum anno 1734. nova ab ipſo excogitata, ex ſupradictis, & Tournefortiana, ac Breyniana conflata, digeſtus, non tamen abſolutus, nec omnia complexus Teſtacea. Methodicam autem diſpoſitionem continet Teſtaceorum I Terreſtrium, II. Fluviatilium & Paluſtrium, III. Marinorum & Foſſilium promiſcue, utpote quæ eamdem originem ſortita ſint. Claſſes Polythalamiorum, & Polytomorum copioſiores, & elaboratiores ſunt,

cum

cum rudibus aliquot Iconibus. Testacea Fluviatilia & Terrestria ad calcem suæ enumerationis Rariorum Plantarum edere destinaverat.

Multa item ad Zoologiam pertinentia, hac illac in descriptionibus itinerum suorum ab anno 1733. peractorum adnotata sunt. Vol. 1. in fol., in quo prætcrea continentur.

Conchylia Maris Mediterranei.

Nota de' Testacei Diluviani, che si trovano attorno S. Miniato al Tedesco. Species continet num. 77. Testaceorum in Agro Miniatensi collectas, & sibi transmissas ab Jo. Antonio Molinario Med. D.

Dissertatio de novis Testaceorum Generibus, Crepidula nempe, Tubulo vermiculari, Polythalamio, Pholade Polytoma, & Balanoide, Societati Botanicæ communicata an. 1735. die 8. Junii Vid. Præf. meam ad Hortum Florentinum pag. LIII.

Opera ad Lithologiam pertinentia.

Catalogus alphabeticus Marmorum, Alabastritum, Iaspidum & similium lapidum in ædificiis usitatorum, additis locis natalibus, ædificiis in quibus exemplaria elegantiora observari possunt, & Auctoribus qui de iis agunt.

Catalogus quarundam Minerarum, Chrystalliationum, Lapidum item, & Terrarum, & Arenarum Musei sui.

Catalogi varii Mineralium a se in itinere Germanico collectorum, quorum elegantiora specimina Phil. Ant. Gualterio S. R. E. Cardinali Ampliss. venum dedit.

Schedæ variæ ad Lithologiam pertinentes, & observationes quædam peculiares circa Fossilia, & Montium Structuram, in descriptionibus Itinerum ab Anno 1733. a se peractorum adnotatæ.

Ope-

Opera ad Artes varias pertinentia.

Methodus conficiendi Laminas illas Ferreas laudatissimas stanno obductas, *Latta* Florentinis, *Fer Blanc* Gallis dictas, quam in Borussia, magno vitæ discrimine, duabus noctibus edidicit, anno 1708., in eo nempe itinere quod Cosmi M. D. jussu & expensis peregit, cum rudibus quibusdam instrumentorum idoneorum figuris. Vol. 1. in fol.

Tentamen conficiendi celebrem illam ceram Hispanicam dictam, nobis vulgo *Cera Lacca*, cum speciminibus variis eiusdem ceræ.

Varia Tentamina conficiendarum Vernicum Sinensis similium.

Experimenta varia & adnotata circa solutionem, concretionem, & mixtionem plurium Resinarum, Gummarum, & Gummiresinarum Vol. 1. in fol.

Trattato de' Carboni, Braci, Polverini ec. del modo di farli, della scelta de' legni, e tempi per farli, e de' loro differenti usi. Conscriptus A. 1733.

Legnami spettanti all' uso de' Carboni, Bracioni, Braci, Polverini, e Sansa. Vol. 1. in fog.

Opera Philologica.

Specimen Lexici Etrusci Artium, ad normam illius Academiæ Parisiensis conficiendi, tamquam auctarium Magni Lexici Etrusci Academiæ, vulgo *della Crusca* dictæ.

Catalogo de' nomi de' mestieri.

Termini del mestiere del Battiloro.

De nominibus Colorum, & eorum præcipue, quibus varii Scriptores in describendis Plantis usi sunt.

He-

Hodoeporica.

Descriptio itineris a se peracti, a die 6. ad 23. Julii A. 1704. per oram Maritimam Pisanam, ac Liburnensem, perque Alpes Lucenses, Mutinenses, Apuanas, ac Pistorienses.

Descriptio itineris a se peracti a die 13. ad 25. Octobris eiusdem Anni, per oram Maritimam Pisanam ac Liburnensem, per Gorgonem Maris Tyrrheni Insulam, per Maritima Lucensia, & Agrum Pisanum.

Recensio Plantarum a se observatarum in itinere per Vallem Arni inferiorem, Agrum Pisanum, & Liburnensem, ac oram Maritimam Lucensem.

Recensio Plantarum a se observatarum in itinere per Alpes Mugellanas, Agrum Bononiensem, Alpes Bononienses, Pistorienses, Mutinenses, Lucenses & Apuanas, Versiliam item, & Maritima Lucensia.

Recensio Plantarum, Animalium, & Fossilium quorumdam a se observatorum in itinere Florentia Romam, in ipsa Roma, & in littore Maris inter Hostia Tiberina, & Castalionem Piscariæ.

Iter Apulum primum, seu recensio Plantarum a se observatarum an. 1710. in itinere Florentia Romam, in ipsa Roma, & per eius Agrum; in itinere Roma Neapolim, Neapoli, atque in variis tam suburbanis quam remotioribus locis, tum etiam in insulis adjacentibus, cum in Prochita, & Ischia; in itinere Neapoli in Apuliam, & per ipsam Apuliam multis in locis; in itinere Neapoli Aquilam; in itinere Aquila Fulginium; in reditu Fulginio Florentiam, per Alpes Anglarienses, Sextini, Clusentinates, & Vallis umbrosæ.

Cata-

Catalogus Plantarum, quas an. 1722. observavit in Venetorum insula *Por de Lio* dicta.

Lista di Piante portate da' Monti della Falterona di Camaldoli, e della Vernia, nel viaggio fatto l' Ottobre 1724.

Nota delle Piante che sussistono nel Giardino (de' Semplici di Firenze) *portatevi nel viaggio* fatto a Monte Senario l' Autunno del 1725.

Nota di Piante raccolte dal dì 4. *fino al dì* 7. *Giugno* 1726 *e portate nel Giardino de' Semplici da' Colli di Scandicci, Spazzavento, S. Casciano, ed Impruneta.*

Recensio Plantarum, & fossilium quorumdam a se observatorum in itinere quod per Vallem Elsæam, Agrum Collensem, ac Volaterranum, & oram maritimam Volaterranam peregit an. 1728. jussu Societatis Botanicæ. Catalogum Fossilium edidi in Hodoeporici mei ed. 1. Tom. 6. pag. 267.

Nota delle Cose (del Regno Fossile) *osservate il dì* 15. *Giugno* 1729. *nel viaggio fatto da Firenze alla Villa dell' Arrighi, e Casignano.*

Viaggio fatto il dì 20. *Giugno* 1729. *da Firenze alla Villa del Fabbrini sopra le Tavernuzze, e per la Cura delle Rose.*

Viaggio del dì 24. *Giugno* 1729. *fatto alle Cave dei Mattoni fuori della Porta a S. Pier Gattolini: cave delle lastre, e della terra di Purgo.*

Nota delle Piante portate nel Giardino della Società Bottanica nel viaggio di dodici giorni fatto nel Mese di Luglio 1729. *per le Montagne di Arezzo, Montauto, Sestino, Sasso di Simone, Carpegna, Veruia, e Vallombrosa.*

Iter Apulum alterum, sive Planta observata in itinere utriusque Abrutii, atque Apuliæ a die 8. *Maii* 1730. *usque ad diem* 22. *Junii eiusdem Anni.*

Descri-

Descriptio itineris Florentia Lucam, per maritima Lucensia, & Alpes Petræ Apuanæ, confecti an. 1730. a die 18. ad 28. Augusti, Comite Brunone Tozzio Abb. Vallumbrosano, & Botanico Clariss.

Nota delle Piante introdotte nel Giardino della Società Bottanica, dal viaggio delle Panie, dal dì 18. fino al 28. Agosto 1730.

Nota delle Piante introdotte nel Giardino della Società Bottanica, dal viaggio fatto per le Montagne di Pistoia nel Mese di Ottobre 1731.

Nota delle Piante introdotte nel Giardino della Società Bottanica, dal viaggio della Montagna di Pistoia, fatto nel Luglio 1734. Descriptionem hujusmet itineris habes in Hodoeporici mei ed. 1. Tom. 6. pag. 251.

Adnotata quædam in itinere per Alpes Cantianenses peracto an. 1734.

Descriptio itineris a die 10. ad..... Junii an. 1735 per oram maritimam Liburnensem, & Pisanam peracti.

Descriptio itineris per varias Venetæ Ditionis Provincias peracti an. 1736. a die 4. Septembris, ad d. 28. Novembris.

Varie Note di Piante portate nel Giardino della Società Bottanica dal suddetto viaggio.

AN-

ANGELUS FABRONIUS

ANTONINO VALSECHIO S. P. D.

ANimadvertimus sæpe una, mi doctissime Valsechi, Thomam Vincentium Moneliam cum adversus Philosophos male de Religione sentientes calamum sumpsisset, locos gravissimos ex Theologia ac Philosophia tractasse abhorrentes ab usu Scholasticorum; & in primis Italorum, cum mutuatus fuisset ab Academia subtilitatem argumentorum, & illi vicissim reddidisset ubertatem orationis & ornamenta dicendi, ausum fuisse Dei hominumque hostibus æternum bellum indicere. Porro vir sapiens non ferebat aculeos, horridum, incultum, & tortuosum disputandi genus; eaque libentius tractavit, in quibus res ageretur Religionis, quia intelligebat serpere longius virus, quod impudentissime effuderant Lochius, Collinsius, Spinosa, Bayius, aliique hujus generis homines, adeo ut

plerique eorum tetros illos horribilesque Lucretii versus in ore habere non dubitarent:

..... Relligio pedibus subjecta vicissim
Obteritur, nos exæquat victoria cælo.

Opportune ergo adfuit Monelia, ut multis errantibus succurreret, quibus haud difficile fuit ostendere, idcirco a recta via illos deflexisse, quod parum defixißent animos, & intendißent in ea, quæ firma & perspicua sunt; quodque fallacibus & captiosis argumentis circumscripti atque decepti non habuissent in promptu, quæ pro veritate responderent. Tali modo caussis, quæ veritati cognoscendæ adversantur, auxilia totidem contra comparavit Monelia, quibus qui usi fuerunt, ut ad sanitatem redirent, non male eos vinolentis assimilare solebat. Dubitant, hæsitant, ut ait Cicero, revocant se interdum, iisque, quæ videntur, imbecillius aßentiuntur; cumque edormiverunt, illa visa quam levia fuerint intelligunt. Mendaciis ac fraudibus omni quidem ætate pugnavit impietas,

sed

sed hac nostra vel maxime, quod plurimum intersit illius sectatorum multos actionum sententiarumque suarum habere socios ac comites. Verentur enim Sapientum judicia, quæ declinare facilius se posse confidunt, quo latius pateat communicatio atque societas voluntatum. Quæ ego aliquando ferre debui ab hominibus audacissimis! cum me convictum esse ostendissem, ad divinæ mentis imaginem expressos animos esse; hos, quod non haberent in se quidquam admixtum dispar sui atque dissimile, non posse interire; Deum omnia judicio ac numine suo gubernare; & qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate Religionem colat, intueri, piorumque & impiorum habere rationem; quique hæc hisque similia convellere studerent, non solum minutorum Philosophorum, ut illos appellat Cicero, sed ne Philosophorum quidem nomen mereri. Scio equidem me ab iis derisum fuisse; sed mea mihi conscientia pluris fuit, quam hominum hujusmodi judicia atque sermones. Gaudeo oblatam mihi occasionem sensus confirmandi meos

ſtantes nunquam alii aliis ſuccreſcere, & alii ex aliis continenter propagari deſierunt. Libentiſſime acceptus fuit Monelia, quod omnia ſumma ab illius ingenio expectarentur; nec fallaces fuiſſe ſpes ſæpe cognitum eſt, maximeque eo tempore quo Antoninus Clochius totius Dominicanæ Familiæ moderator Florentiam advenit. Quas enim Theologicas theſes ei dicavit Monelia incredibili plauſu publice defendit; de ejuſdem laudibus orationem & carmina ſcripſit recitavitque; dumque cœnaret in ipſo Cœnobio Clochius, tertio exauditus eſt Monelia orationem habens in Dominicanæ Familiæ laudem, eamque ſcriptam elegantiſſime ſententiis & verbis. Obſtupuit Clochius ſuſpiciens adoleſcentis peracre judicium & ingenium, & præclaram eruditionem; utque ſingularia merita ſingularibus præmiis afficeret, deliberavit ei Magiſterium Philoſophiæ deferre quadriennio citius quam legibus inſtituti eſſet permiſſum. Quæ res etſi minime confecta fuit, quod obſtiterunt Seniores Cœno-

bii, rati minus expedire si juventus ab eo instrueretur, qui pari aut minori esset ætate, tamen plurimum gloriosa fuit Moneliæ; qui quidem statim ac per ætatem licuit scholam philosophiæ omnium voluntate regendam suscepit. Hæc vero numquam magis frequentata fuit quam illo magistro; cumque præclara, quæ de ipso tota urbe surrexerat fama, ad aures quoque pervenisset Henrici Newtoni Regis Britanniæ ad Magnum Etruriæ Ducem Legati, is se cupidum cognoscendi Moneliam ostendit. Hic ut erat litterarum suæque Britanniæ amantissimus plurimos cum Monelia sermones habuit, quibus illi persuaderet solos Britannos, quemadmodum de Tiresia apud Inferos Homerus ait, sapere, ceteros umbrarum vagari modo; quapropter plurimum se illius vicem dolere, quod barbaræ philosophiæ laqueis irretitus spe orbaretur posse aliquando ad aspiciendam lucem vocari. Quid multa? Adolescentem gloriæ & scientiæ percupidum, & in quo magnus erat ætatis & mentis fervor, adeo inflamma-

ma-

deretur, numquam tamen laudari satis digne poterit, quod libentissime semper contulerit omne suum studium atque ingenium ad aliorum utilitatem & commodum. Sed quoniam a carceribus ad calcem illius vitæ cursum persequi nobis propositum est, priusquam exponamus mores, ingenii facultates, resque ab eo gestas, dicemus de genere ipsius, puerilique institutione. Sarezanæ, quæ est urbs in ditione Reip. Genuensis, multa sunt monumenta antiquitatis, splendorisque familiæ Moneliæ, quæ traducta Florentiam non solum civitatis jure donata fuit, sed etiam plurima ornamenta, seu potius virtutis præmia a Magnis Ducibus accepit. Thomas Vincentius avum habuit (non enim est necesse singulos commemorare) Joannem Andream Cosmi III. Archiatrum, Medicinæ doctorem in Academia Pisana, neque contemnendum poetam, sed alienis magis, quam propriis carminibus (1) no-

(1) Hic nempe est Curculio, quem Menzinius suis insectatus est satyris.

mus a factis, sed etiam aures a commemoratione abhorrerent. Neque non maxime probandum illud est, quod ad farciendum allatum exemplo suo Catholicis hominibus detrimentum, petierit a Clochio, ut sibi liceret ad populum de divinis rebus verba facere. Fecit autem non in magnarum urbium luce, sed in obscuris locis, volens plausus celebritatemque vitare. Sacri concionatoris munus usque eo exercuit Monelia quoad Thomæ Minorellio adjutor est datus, qui in bibliotheca Casanattensi primum obtinebat locum. Non dubitabat hic, si Moneliam sibi adjunxisset, illum magno usui fore sibi in multis rebus, quas apparaverat, quasque per se præstare non poterat, quod esset ætate provectus, & oculorum lumina amisisset. Itaque magno studio postulatum est ab eo, ut sibi socius idem daretur. At si profuit Minorellio opera Moneliæ, multo majores hic percepit utilitates a diuturna consuetudine hominis omni doctrina & virtute ornatissimi; cujus me-

mo-

moria & recordatio tanquam parentis carissimi fuit Moneliæ, quoad vixit, jucundissima. Inter hæc ille conscripsit vulgavitque Dissertationem *de origine sacrarum precum Rosarii B. M. V.* ut confutaret *Bollandistas*, qui S. Dominico harum precum institutionem acceptam referri debere negabant. Historiam, mores, disciplinam, hæreses, aliaque monumenta temporum, quibus Dominicus vixit, necesse fuit consulere, ex iisque omnibus ducere argumenta (quam firma aliorum sit judicium) ad comprobandum id quod traditum nobis est a majoribus, eum precandi ritum a Dominico invectum in Christianorum mores ac propagatum fuisse. Hoc opusculum, quod crasso filo contextum dicebat Monelia, voluit in Benedicti XIII. P. M. nomine apparere. Dumque majora ipse præpararet, factum est consilio Augustini Ursii, ut in cœnobium S. Marci theologiæ tradendæ caussa mitteretur. Quam enim gloriam vir summus pepererat illi domui ejusdem facultatis magister, eandem

mavit, ut patriam, inſtitutumque ſuum deſerere, & ad Britannos tranſire non dubitaverit. Rus, quo conceſſerat, ut liberius vacaret cuidam orationi panegyricæ concinnandæ, opportunitatem ei fecit ad fugam capiendam, parataque jam erat Liburni navis qua Londinum transportaretur, & ſatis grandis pecunia qua rebus ſuis conſuleret. Quamquam Newtonus diligentiſſime commendaverit Moneliam iis, cum quibus amicitiæ & cognationis ſibi vincula intercedebant, brevi tamen ille intellexit fallacibus judiciis ſe vidiſſe magna illa emolumenta, quæ ex Londinenſi commoratione ſibi obventura putaverat. Triennium fere ea in urbe manſit, magnamque temporis partem conſumpſit in bibliothecis frequentandis: extremo tempore ut haberet quo ſe aleret, docuit mercede quoſdam Britannos Italicæ linguæ ſtudioſos. Factum eſt autem beneficio præſertim Coſmi III. Magni Etruriæ Ducis, qui hac de re mandata dedit Equiti Giraldio oratori ſuo apud Britanniæ Regem, ut

Mo-

dem a Monelia conſervandam fore atque augendam ſperabat . Non eſt credibile quot & quanta demiſſi mœrentiſque animi ſigna dederit Monelia cum primum pedem intulit in illud cœnobium , ex quo diſcedens in malorum iliadem incurrerat. Confirmatus tamen & ſua & Collegarum virtute, ſtrenue ingreſſus eſt munus ſuum , & nulli quidem labori pepercit , ut juventutem florentem haberet optimis diſciplinis. Utque currenti jam ſtimulos adderet, quotidie illi inculcabat, Theologiam non unam quamdam diſciplinam eſſe , ſed plures quodammodo in unum coactas; fuiſſe jam tempora , quibus præclarum ducebatur non poſſe intelligi, in jejunis quæſtionibus, barbaris ineptiis , meriſque nugis verſari ; nunc videre acutius homines, nec Theologi nomine eos dignos putare, quibus non ſumma ſit divinarum litterarum, Eccleſiaſticæ ac etiam profanæ hiſtoriæ, ſacrorumque Canonum prudentia atque cognitio; qui in SS. Patrum ſcriptis diu multumque non ſint voluta-

ti;

ti; quibus ſit incognita legum, morum, juris, naturaliſque Philoſophiæ ſcientia; qui non perceperint doctrinam temporum, teneantque notitiam regionum terreſtrium & maritimarum; qui non attigerint Hebraicam linguam, Græcam non noverint; & qui neſciant afferre compoſitam orationem, & artificio quodam & expolitione diſtinctam. Nemo quidem in perfecti Theologi imagine, quam exprimebat Monelia, illum ipſum non agnoſcebat. Hoc quoque optimum factu ipſe arbitratus eſt, ſi in publicis diſputationibus non amplius, ut mos erat antiquus uſitatuſque, proponerentur ſexcentæ theſes nullis rationum momentis confirmatæ, ac perſæpe ipſis defenſoribus oppugnatoribuſque parum compertæ, ſed numero paucæ, eæque ſolum, de quibus eſſet diſputandum, neque jejune & exiliter, ſed ea verborum & argumentorum copia, quæ rem ſatis illuſtrare poſſet. Tali modo Monelia ſe ſatisfacere putabat tum iis, qui hujuſmodi diſputationes ad acuenda adoleſcentium ingenia,

nia, excitandamque sollertiam plurimum prodesse judicant, tum iis (quos inter eminet Joannes Clericus) qui eas obesse potius juventuti credunt; homines vero, qui res hujusmodi amant, cupidiores contentionis esse quam veritatis. Non est prætereundum primum ex omnibus discipulis Moneliæ laudabilem hunc morem tenuisse virum clarissimum Thomam Mamachium, quem honoris caussa nomino. Sic se gerens Monelia neminem inter suos inventum iri existimabat, cui sua docendi ratio non probaretur. Fuerunt tamen, qui veluti noctuæ luce oblata ingemiscerent, clamarentque vetustatem suo loco conservandam esse, coercendamque illorum temeritatem, qui omnia novari volunt. Contempsit Monelia hujusmodi voculas, contemptionisque publica sunt testimonia, *Dissertationes duæ de annis Jesu Christi Servatoris, & de Religione utriusque Philippi Aug.* quas edidit anno MDCCXLI. quarumque argumenta discipulo antea publice defendenda commiserat. Cum multæ res in Chrono-

nologia nequaquam ſatis adhuc explicatæ; tum valde implexa quæſtio eſt de emortuali Chriſti anno, de qua tam variæ ſunt doctiſſimorum hominum tamque diſcrepantes ſententiæ, ut magno indicio eſſe debeant multis hujus rei cognitionem obſtructam eſſe difficultatibus. Etenim conandum eſt, ut Evangelica Chriſti hiſtoria cum aſtrorum motibus, cumque antiquitatis monumentis prorſus conveniat, quæ duo ita ſunt conſtituta, ut quantum uni horum conceditur, alteri quodammodo detrahi videatur. Difficilem hanc viam ingreſſus Monelia, adeo quidem in ea proceſſit, ut vix ante eum quiſquam proceſſiſſe longius videatur, etſi nonnulli poſtea ſatis valide illius oppugnaverint ſententiam. Hæc ferme tota eſt non mediocri argumentorum doctrinæque copia exornata. Jeſus Chriſtus conceptus eſt menſe Martio an. V. C. DCCXLIX. quo etiam tempore novum ſidus Magis in Oriente apparuit; & ejuſdem anni Decembri natus anno Juliano XLI., Auguſti Cæſaris XL., Olympia-
dis

dis CXCIII. an. IV., Periodi Julianæ An. MMMMDCCVIIII. Augusto Cæsare & C. Cornelio Sulla Cofs. ante vulgarem æram an. V. exeunte, Cædes Bethlehemitica patrata est circiter Martii initium An. V. C. DCCLI., quo anno ac mense etiam obiit Herodes cognomento Magnus. Baptismo perfusus est Christus a Joanne A. æræ communis XXVIII. ineunte; ter Pascha celebravit eodem scilicet an. XXVIII. & duobus sequentibus, & demum in crucem actus anno ejusdem æræ XXX. C. Crasso Longino, & M. Vinicio Cofs. cum complesset ætatis suæ annos XXXIII. tresque circiter menses. Quæ pertinent ad historiam Herodis & Pilati, seriemque Procuratorum Judeæ, ita sunt illuminata a Monelia, ut nihil fieri potuerit illustrius. Secunda Dissertatione oppugnat Baronium, Huetium, Tillemontium, Natalem Alexandrum, aliosque doctissimos viros, ac præsertim Jesuitam Petrum Taffinium, qui utrumque Philippum Augustum inter Christianos adnumerant. Multa affert argumenta, ut pro-

L bet

bet hos Cæſares numquam idola ſua ejuraſſe, ſed in eo maxime nititur, quod ex ludis Sæcularibus per eos celebratis ducit. Nam quid iniquius aut indignius Chriſtiano nomine dici aut commemorari poteſt quam non neceſſario & invite, ſed libere libenterque dies feſtos illorum ludorum celebraſſe, in quibus intoleranda licentia ac ſuperſtitio dominabantur? Ne vero ludis jam peractis eoſdem Cæſares Chriſtianæ militiæ nomen dediſſe putemus, vetare nos dicit Monelia, quæ Alexandriæ nonnullos menſes ante illorum cædem adverſus Chriſtianos geſta fuere, & quæ de ipſorum apotheoſi ex Eutropio ſcimus. Has Diſſertationes dedicavit Monelia Franciſco II. Magno Etruriæ Duci, ut ejus beneficio ſacrorum librorum & Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Interpres in Academia Piſana declararetur. Et quidem anno MDCCXLI. voti compos factus eſt, aſſignato ei annuo ſtipendio CL. centuſſium. Paullo antequam hæc acciderent egerat Cardinalis Quirinius cum Patavinæ Academiæ Moderatoribus,

ut

ut Monelia in locum Hyacinti Serrii Theologorum facile principis ſuccederet. Obtinere tamen minime potuit, quod Monelia quoſdam Collegas ſuos, quos fautores fore ſperaverat laudis ſuæ, habuerit adverſarios obtrectatoreſque. Muneris ſui initium fecit Monelia ab Latina oratione; qua oſtendit Deum omnia nobis tuta & ſancta eſſe voluiſſe religione; qui hanc ſtudent evertere ſtulte arrogantes homines, hos eſſe ſui omniſque humanæ ſocietatis infenſiſſimos hoſtes; ipſam Religionem vero ſacris litteris, & Eccleſiæ monumentis veluti fundamento cuidam conſtitutam eſſe; & tam bene fundatam & extructam Chriſtianam diſciplinam ab omnibus perdiſcendam. Hæc prima ingreſſio e media repetita Theologia magnam conciliavit Moneliæ opinionem apud Collegas ſuos. Et quidem intereſt plurimum qualis primus aditus ſit, & qua commendatione ingenii Academiæ quaſi fores aperiantur. His initiis cetera, quæ conſequuta ſunt, plane reſponderunt; augebatque conce-

ptam de Monelia opinionem aſſiduitas ac diligentia prope ſingularis, quam ſemper adhibuit in erudiendis tum in ſchola tum domi diſcipulis ſuis. Memorantur adhuc, quos apud ſe veſperi habebat, litterarii conventus, in quibus ſtudioſi adoleſcentes tum in ſacra profanaque Hiſtoria, tum in Geographia, tum in naturali Theologia, atque humanioribus litteris exercebantur. Sunt vero inſigni indicio uberrimos iis virtutis & ſcientiæ fontes aperuiſſe Moneliam quæ diſputata primum privatim, mox in publicum protulit adverſus eos, qui omnia fato fieri, nihil libere affirmabant. Opus iſtud duas in partes ſive volumina diſtribuit, in quibus poſtquam multa præfatus eſt de conſenſu omnium hominum ad comprobandam vim & naturam divinam, neceſſitatemque religionis, exponit tum veterum, tum recentiorum philoſophorum judicia, ſeu potius deliria de hominis ac Dei libertate. Sed præſertim Lochii, Leibnitii, & Collinſii, necnon Hobeſii & Spinoſæ dogmata exami-

minat, ſolideque atque eleganter ſuo more confutat. Suam vero declaraturus ſententiam in fine operis non invenit firmius quod teneret, quam expoſita in hoc eodem argumento a S. Thoma Aquinate, qui quidem Fide, ratione, & experientia ipſa nos convictos debere eſſe probat, Deum & ab eo creatos hominum animos libertate præditos eſſe. Hoc opere bellicum ſe ceciniſſe dicebat Monelia, neque conquieturum, quoad philoſophos male de religione ſentientes armis denudaſſet ſuis. Itaque poſtquam debellaſſet *Fataliſtas*, cum *Materialiſtis* manus conſeruit, ediditque librum qui inſcribitur: *Diſſertazione contro i Materialiſti e altri increduli.* Hic trifariam dividitur. Prima enim pars materiam ab Auctore, cui nullis definita limitibus naturæ perfectio ſit, creatam eſſe, vel de nihilo ductam oſtendit. Altera pars multa colligit a Sanctis Eccleſiæ Patribus acute inventa, & ſubtiliter explicata, quibus & majus dictis lumen accedat, & ipſorum Patrum læſa

 ab

ab impiis afferatur auctoritas; & quid sit de natura divina materiæ cujusvis experti sentiendum statuatur. Tertia vero pars acriter sententias duas oppugnat, quæ certe si starent, tum de materiæ ipsius creatione, tum de summa Creatoris libertate, atque potentia actum esse videretur; nimirum & eam, qua spatium esse rem aliquam, æternam, necessariam, & a nemine pendentem ponitur; & eam, qua mundum hunc ipsum, qui conditus a Deo fuit, inter omnes, qui condi potuissent, optimum ac perfectissimum esse concluditur. Hoc opus aliud sequutum est mole quidem exiguum, at doctrina maximum, quod libris duobus artem criticam, & philosophiam contra recentiores, qui stant ab Epicuro & Lucretio, adhibet. Liber prior ipsius Epicuri & Lucretii quid valeret ingenium, quid ferre recusaret, ostendit; rationesque ab iisdem allatas, quo corpoream animi naturam esse concluderent, facile dissipat. Qui hunc consequitur liber quasdam criticæ ar-

artis ac dialecticæ regulas explicat, & quæ sint, & quomodo sint contra impios usurpandæ, veluti digito demonstrat: tum Metaphysica scientia quam vim habeat, quid spectare debeat, quid recipere vel rejicere declarat; quo loco veterum ac recentiorum diversas rationes judicii sui lance ita librat, ut nihil illo prudentius, nihil solertius excogites: denique ad extremum de quibusdam libris agit de humana mente multa complexis, & in eo præsertim, cui titulus *l' Esprit*, confutando versatur. Licuit sane Moneliæ in hoc gloriari se primum ex Italis contra librum religioni bonisque moribus perdendis aptissimum calamum sumpsisse. Postremum, in quo elaboravit, opus eo collimat ut mentem hominis spiritum immortalem, non materiam cogitantem esse probet. Multa tum a Sacra θεοπνεύςυ Scripturæ auctoritate, quam etiam ab impiorum calumniis vindicat, tum a profana, sed tamen haud levis momenti, scriptorum fide affert in rem suam diu multumque cogitata. Geo-

metricam autem in hoc opere docendi rationem haud leviter adumbrat, & metaphysica etiam argumenta egregie pertractat. Jam vero in libris hisce omnibus eam sequitur Monelia rationem ac viam, ut artem criticam cum ipsa Metaphysica contra impios, quod & Jaquelotius tentaverat, ac magna ex parte perfecerat, apto sane ac felici nexu conjungat. In ipsa quidem Metaphysica ita versatur, ut neque veterum acumen ac differendi subtilitatem, neque recentiorum claras distinctasque notiones umquam desideres. Ea vero est in illius oratione perspicuitas, ea gravium sententiarum illustriumque verborum vis atque copia, ut quod Horatius præceperat, utile miscens dulci omne tulisse punctum videatur. Reliquit & alia scripta contra Religionis hostes, quæ utpote imperfecta ac plane rudia minime in lucem sunt edita. Quamquam in hujuscemodi tractationibus sibi maxime elaborandum esse statuit Monelia, non tamen cetera, quæ collegerat ex aliis diversisque studiis

& ar-

& artibus, neglexit. Habebat in manibus opus magnum de antiquis Etruriæ urbibus: multa ſcripſit de ortu & progreſſu Catholicæ religionis apud Indos, & pro defenſione Edicti Card. Turnonii: tractavit locos graviſſimos, difficillimoſque ex Sacra Scriptura, ut muneri, quod ſuſtinebat in Academia Piſana, abunde ſatisfaceret; exercebatque ſe quotidie fere in optimo dicendi ſcribendique genere. Evolvi plura volumina illius ſcriptorum; & quamvis nihil publica luce dignum in iis repererim, admiratus tamen ſemper ſum varietatem doctrinæ & diligentiam prope ſingularem hominis paſſim omnia carpentis ac colligentis, quæ ſtudia ſua juvare poſſent. Profecto ſine ingenio, labore, & conſtantia ſumma non potuiſſet eo, quo intendebat, pervenire. Mirum vero minime videri debet hominem, qui omnem vitæ ſuæ curſum in labore confecit, qui ſolitudinem ſic amavit, ut nemini pedem inferre in cubiculum ſuum, quo ſe abdebat poſtquam docendi munere functus eſ-

ſet,

ſet, permitteret, fuiſſe difficilem & moroſum, & interdum etiam paullo aſperiorem & duriorem, præſertim ſi contra ſe diceretur; ſui vero omniſque munditiæ adeo negligentem, ut vel non delicatos offenderet. Sed hujuſmodi vitia magnis emendata virtutibus, quæ eminebant in Monelia, certe mitigantur. Opinio doctrinæ caſtiſſimorumque morum, quam omnes de Monelia habebant, conciliavit ei ſummorum virorum amicitias, commendationique fuit apud Benedictum XIV. P. M. a quo non vulgaribus beneficiis atque honoribus eſt ornatus. Nec minus honorifice de eo judicarunt Collegæ ipſius, cujus rei teſtimonium præſertim dederunt eo die, quo ad gubernandam familiam Florentini Cœnobii illum elegerunt, quod tamen munus ut ſuſciperet, nullis precibus potuit adduci. E ſuis maxime dilexit virum ſane doctum Dionyſium Remedellium, quo etiam adiutore ſuorum ſtudiorum uſus eſt. Vixit ad ſummam ſenectutem valetudine optima. Poſtremo oppreſſus morbo, quem

Ente-

Enterocelen appellant, diem obiit supremum Pisis XV. Kal. Mar. an. MDCCLXVII.

OPERA EDITA

DE ORIGINE sacrarum precum Rosarii Beatæ Mariæ Virginis ad Sanctissimum D. nostrum Benedictum XIII. P. M. Ordinis Prædicatorum Dissertatio F. Thomæ Vincentii Moneliæ ejusdem Ordinis. Romæ 1725. typis Hieronymi Mainardi in 8.

F. THOMÆ VINCENTII MONELIÆ Florentini Ordin. Prædicat. in Colleg. S. Marci S. Theolog. Prim. Professoris de annis Iesu Christi Servatoris & de Religione utriusque Philippi Aug. Dissertationes duæ. Romæ ex novo typographio Paleariniano 1741. in 4.

DISSERTAZIONE contro i Fatalisti del P. M. F. Tommaso Vincenzo Moniglia dell'Ordine dei Predicatori ec. in Lucca 1744. P. I. e II. in 8.

DISSERTAZIONE contro i Materialisti e altri Increduli del P. Tommaso Vincenzo Moniglia ec. Tom. I. e II. in Padova 1750. nella Stamperia del Seminario in 8.

OSSERVAZIONI Critico-Filosofiche contro i Materialisti divise in due trattati del P. M. F. Tommaso Vincenzo Moniglia in Lucca 1760. in 8.

LA MENTE UMANA Spirito immortale non materia pensante opera del P. M. F. Tommaso Vincenzo Moniglia Tom. I. e II. in Padova 1766. nella Stamperia del Seminario in 8.

AN-

ANGELUS FABRONIUS

DOMINICO COTUNIO SUO S. P. D.

MAgnum ingenium Stenonis, magnumque præstantissimarum artium studium, tum omnis liberalis ab eo percepta doctrina singularesque virtutes carere certe non debebant Historiæ lumine. Quamvis autem sumptæ a me partes sint res Italorum doctrina excellentium monumentis commendare meis, non tamen prorsus alienum a proposito sum arbitratus de Dano etiam scribere, qui Hafniam loci & naturæ. Florentiam vero juris & voluntatis sibi patriam fuisse dicebat, quod in populi Florentini Civitatem susceptus fuisset, quod ibi veritatis consilium ab hominibus sanctissimis accepisset, quodque commoratio in Etruria ad eas artes quas excolebat, plurimum sibi profuisset. Præter hæc cum opera & consilio magnam utilitatem attulerit Steno Academiæ Pisanæ, hæc satis justa mibi poterat esse caussa ad illius vitam conscribendam.

dam. Non deerant quidem iis temporibus Etruriæ Anatomici præstantissimi; conducebat tamen maxime ad illius Provinciæ gloriam unde fontes scientiæ ad ceteras fluxerunt, plures esse, qui e suo multa in commune conferentes longam & difficilem Anatomes viam, quantum fieri poterat, expeditiorem redderent. Quam porro longa sit anatomes ipsa scientia, quamque difficilis, is demum intelliget, cui musculorum, viscerum, ossium, totque partium, quæ aliarum caussa sunt constitutæ, numerus innotuerit. Profecto vel ipsa tradit historia quantam ii laudem consecuti sint, qui partem ejusdem scientiæ licet exiguam tum plene tenere, tum aliis apte tradere potuerunt. Ex quo licet cognoscere vere illud a summo viro dictum fuisse „ Ire per omnia & plene omnes regiones corporis humani perspectas habere id quidem & æque difficile & æque rarum est, quam plena omnium immensæ regionis pagorum, rivorum, valliumque & collium historia: ostendi potest etiam calculo posito, fieri non posse ut intra xx. annos partes corporis animalis

malis omnes plane peragrentur „ *Nam si quæ ab auctoribus tradita sunt aliquo modo tenere satis esset, magnum id quidem videretur ac docto homine dignum. At in hoc studio res ita comparatæ sunt, ut nisi naturam in cadaveribus per experimenta rimatus ipse fueris, numquam ejusdem doctrinæ laude perfectus possis evadere. Experimenta vero his in rebus quantam per Deum immortalem habent difficultatem, atque laborem! Etenim prima lex eorumdem est, non semel, cum de una parte agitur, neque bis institui debere, quod cum periti homines aliquando neglexerint, maximis in erroribus versati sunt. Plurima enim, quæ ad rem non pertinent, in experimenta ipsa se se quodammodo immiscent, neque facile quid alienum ab ipsa re sit, quid non, animadvertas, nisi eadem experimenta sæpius instituens, quid natura ipsa ferat, quid aliæ caussæ produxerint, aperte cognoscas. Sed & singula experimenta & otium & laborem haud ita parvum desiderant. Omitto enim res aliquando considerandas esse ita minutas, ut quamvis*

nudo-

nudorum oculorum aciem effugiant; quare vitris iis juvandi sunt, quæ microscopia dicimus. Omitto quot adhibenda sint artificia in incidendo, in exsiccando, in aliis quæ sunt ejusdem generis. Illud præcipuum est, artem nescio quam haud sane paucis verbis explicandam in his omnibus adhiberi oportere, quam non pluribus profecto mortalibus a natura concessam novimus, & ab industria frustra requiras. Ut aliquod afferamus exemplum auctoritate Hallerii confirmatum, sectores plerique superioris sæculi solebant in eo peccare, quod cum particulam aliquam corporis inspicerent, contemplationem situs, ac vinculorum, quibus annectebatur, facile negligebant. Oportet enim vero visceris ejus partes omnes, tum nervulos, tum venas, tum parvas arterias, tum quibus definiatur limitibus inspicere, diligenterque notare; denique ad extremum viscus integrum e vinculis, quæ cellulosa dicuntur, exsolvere, atque ab reliquis, quæ circumstant, ita liberare, ut omni ex parte tibi mundum appareat; ita tamen, ut quid rejeceris non facile

le

le oblivifcaris. Expedit etiam aliquando telam ipfam cellulofam omni ex parte refolvere; quod cum a recentioribus diligenter præftitum fuerit, plura fere antiquis incognita deprehenfa funt; cujus generis illa funt, quod vefículæ feminales non in plura inteftina, fed in unicum, eumdemque ramofum, quod cyfterna chyli in canales lymphaticos, quodque in unicum vafculum epididymis diffoluta evadit. Maceratio etiam huc facit, quæ membranarum elementa ob oculos ponit; & inflatio quæ nimis minuta quædam adaugens ut confpicua fint facile præftat. Neque vero tantum in hominum cadaveribus, fed & in diverforum animalium corporibus experimenta inftituenda funt. Hæc enim, quæ fola licet, cum adhuc vivunt, incidi, multa quæ pertinent ad circuitum fanguinis, fubtiliorefque ejus motus agnofcendos, ad iter chyli, ad offium incrementa, ad refpirationem, ad inteftinorum periftalticum motum intelligendum apte demonftrant. Sed & alia quædam occurrunt in Anatome difficilia, quæ vix aut nullo modo folvas, nifi quadrupedum, aut avium,


vium, aut aliorum brutorum animalium corpora dissеces. Exemplum hujus rei poni potest in ea quæstione, quæ de bile jecoris, ac de bile, quæ in vesicula fellea deprehenditur, inter Anatomicos agitata est; nimirum utrum omnis in jecore an ipsa in vesicula, & rursus an aliqua pars in jecore, alia vero in vesicula enascatur. Ea quæstio ex hominis inspecto cadavere solvi non ita facile potest; at vero dissecta animalia tantum luminis hanc ad rem attulerunt, ut dubia non amplius esse videatur. Nam & bestiæ non paucæ satis ingentes bonam sibi bilem in jecore sine ulla fellea vesicula comparant, & nullum animal sine jecore vesiculam habet, & omne quod habet ita cum jecore conjunctam gerit, ut vel ex eodem existat, vel cum ejus canali, quod vocant excretorium, aperte communicet. Hinc autem in jecore, non in vesicula bilem enasci quis non fateatur? Hæc omnia quæ & quanta sustinenda ab illo sint, qui studet Anatomiæ, satis ostendunt. Sed illud maximum est, nervorum notitiam ac scientiam post centum & amplius annorum spatium ita parum

 fuiſ-

fuisse perfectam, ut præter quinti & septimi paris historiam, quam Nukelius dedit, & nervos oculi, quos plerique vocant Zinnianos, vix aliquid plena perfectaque scientia comprehensum sit. Hæc a te sæpius audita, mi doctissime Cotuni, aliisque summis viris notata idcirco proferre volui, quo magis inflammarem adolescentium in nobilissimam facultatem incumbentium studia, & quo magis appareret quanta laude digna sint inventa & labores non solum Stenonis, sed etiam tui, tuique similium, qui una cognitione naturæ & scientia beati esse videmini.

Florentiæ Kal. Sext. MDCCLXXIV.

NICOLAUS STENO

Icolaus Steno, (alii Stenonis appellant) Hafniæ natus eſt IV. Id. Januarias an. MDCXXXVIII. Patrem habuit aurificem quemdam, & arte qua plurimum præſtabat, & ſtudio quo ardebat in Lutheranam Sectam Christiano IV. Danorum Regi valde acceptum. Hic prout ipſe amabat litteras, filium omnibus doctrinis, quibus puerilis ætas impertiri ſolet, erudiendum curavit. Erat autem in puero præter docilitatem ingenii ſumma ſuavitas morum, oriſque præterea & vocis; quo fiebat ut omnibus eſſet cariſſimus. Thomæ vero Bartolino traditus, ut eo magiſtro Medicinæ & Anatomiæ ſtuderet, ab ipſo non ſecus ac filius dilectus eſt, & diligentiſſime inſtitutus. Audiit etiam Olaum Borrichium, Simonem Paulli ceteroſque viros, qui phyſica doctrina excellere putabantur. Cujus doctrinæ inſignia in patria cum accepiſſet

Lugdunum Batavorum venit fama accitus Francifci Sylvii, quo duce non folum in Medicina & Anatome, fed etiam in Chemia fe exercuit. Frequentavit quoque fcholam Jo. Van-Hornii omnium Sylvii difcipulorum celeberrimi, habuitque æmulos atque imitatores ftudiorum fuorum Joannem Swammerdamium, Carolum Drellincourtium, & quotquot ingenii laude excellerent, & gloriæ defiderio tenerentur. Denique Amftelodamum conceffit, ut ibi quoque doctiffimos phyficos audiret, cum in una philofophia quafi tabernaculum vitæ fuæ collocaffet. Ibi exceptus fuit hofpitio a Gherardo Blafio, quo cum diligentius & fæpius de Anatome loquebatur; & quia hunc æquiffimum eorum ftudiorum, quæ fibi cum ipfo erant communia, æftimatorem & judicem fe habere putabat, non dubitavit eidem ductum falivalem exteriorem a fefe detectum VII. id. April. an. MDCLXI. (& notanda quidem funt inventorum tempora) femel iterumque commonftrare. Blafius invidia

com-

commotus alienam laudem ad se intervertere tentavit. Itaque edito de Medicina *Generali Tractatu*, in hujus limine se inventorem illius ductus professus est. Ægerrime id tulit Steno, qui talis erat vir ut non modo facere, sed ne cogitare quidem quidquam auderet, quod non auderet prædicare: quamobrem furti violatæque fidei Blasium convincere statuit. Sed exitus disputationis tum brevis, tum etiam non difficilis fuit. Hinc enim explicatis propriis inventis, illinc excussis prolatis rebus a Blasio, qui nec verum ortum, nec verum egressum ejusdem ductus cognoverat, nec satis intellexerat quibus illum usibus natura attribuerit, res plane confecta fuit; ipseque ductus ex inventore suo nomen invenit (1). Multum tamen se debere Blasio professus est Steno, quod occasionem sibi dederit sua non modo repetendi, sed & nova quædam alia inveniendi. Dum enim parotides in vitulino capite, quo Blasius ipsum provocavit, investigabat, & vasa sequebatur, elegantem

diverſarum in collo glandularum per peculiaria vaſa conjunctionem non ſine admiratione obſervavit. Quibus animadverſis rem certius exploraturus bovis caput alterum ſecuit; dein canes aperuit; ad extremum vituli quoque caput ſcrutanti ſalivæ vaſa quædam inſperato occurrerunt. Nam præter glandulas maxillares & tonſillas a Wartono deſcriptas, alias notavit intra buccas, ſub lingua, in palato, quæ omnes inter ſe in eo congruebant, quod ex plurimis glanduloſæ carnis quaſi fragmentis, immo glomis, fibrarum, nervorum, vaſorum & membranarum ope copulatis, eſſent compoſitæ. Hæc ſatis oſtendunt quam immerito a nonnullis Steno eo nomine reprehendatur, quod commodam diviſionem a Sylvio propoſitam glandularum conglobatarum, & conglomeratarum ſecutus minime fuerit. XVI. Kal. Majas an. MDCLXI. ſe vidiſſe ait circa ductum ſalivalem parotidis ludentes plures nervos (quis ignorat quantum id conducat ad plura explicanda phænomena, quæ in ſali-

livæ secretione contingunt?) ab eodem plane distinctos. XII. vero Kal. Junias ejusdem anni glandulas buccarum salivæ assignatas anno ante a Sylvio in homine detectas diligentissime examinans invenit excretoria eorundem vasa, quorum nonnulla præter detecta a Bartolinio observavit etiam, quamvis essent angustiora, in glandulis, ut ipse appellabat, sublingualibus. Sex post diebus, cum bubulum caput jam totum fere dissecuisset, cumque tonsillas excideret, ac vicinias premeret, tenacem inde elici humorem animadvertit. Hinc totum illud, quod cœlum oris constituit, exsectum, digitisque compressum innumeras glutinosi humoris guttulas per exilia foramina, quæ membranam veluti cribrum perviam faciunt, emittere vidit. Per eadem tempora invenit Schneiderius membranam illam, unde pituitam exsudare nos docuit, quo de invento, fecit etiam Steno mentionem, ne quis sua cum alienis confunderet. Exposita structura glandularum, eorumque vasorum, quorum munus est

humorem præparare, qui os perpetuo irrigat, unde & quomodo hic humor nascatur, deferaturque in os pluribus declarat Steno, concluditque humorem hujusmodi in glandulis conglomeratis ab arterioso sanguine secretum, & in os per excretoria vasa spirituum animalium in glandulas, & proximos musculos influentium ope compulsum salivam facere; rotundas vero seu conglobatas glandulas, quæ in priorum vicinia reperiuntur, acceptam ab exterioribus partibus lympham in venas refundere, ut refluo ad cor sanguini misceatur. Hac occasione insurrexit Steno in Bilsium hominem intolerandæ insolentiæ ac superbiæ, qui in ea erat opinione non modo salivam, sed etiam humores aqueos omnes a ductu chylifero, vel, ut ille vocabat, rorifero, non autem a sanguine oriri, in qua confutanda ita se gessit ut omnem humanitatem exuisse videatur. Glandulas etiam oculorum diligentissime suo more exquisivit, deque iis opusculum scripsit, ex quo apparet invenisse illum an. MDCLXII. in

vitulis vaſa, quæ humorem palpebrarum motui neceſſarium ex arterioſo ſanguine in ipſis glandulis ſecretum ducunt, & eundem alio inde reducunt. Porro priora vaſa nondum, quod ſciam, Anatomicis fuerant nota; poſteriorum vero quamvis principium non neſcirent, tamen quem ad finem progrederentur nondum certum habebant. *Glandularum oculi altera*, inquit Steno, *quam innominatam vocant, in ſuperiori exterioris anguli regione ſita, magna & fere rotunda in eo loco conſpicitur, unde ad inferiorem orbitæ partem inflexa in anguſtam veluti laciniam ſenſim attenuatur. Pars ejus anterior per loborum, in quos eleganter diviſa eſt, intervalla prodeuntibus ex ipſa glandula, quæ humorem ibi ſecretum excernunt, vaſis liberum exitum concedit, quæ inde interiorem intra palpebrarum tunicam antrorſum pergentia exiguis tandem foraminibus ad brevem a ciliis diſtantiam pertundunt. In conſpectum facile protrahuntur prædictorum fluminum oſtia, modo inverſam in exteriori angulo palpebram tantillum exten-*

tenderis .... Altera lacrymalis dicta oblonga in vitulo, & in cantho interiore seu majore recondita præter vasa sanguinea & nervos, quæ illi cum reliquis glandulis omnibus communia, etiam cartilagine prædita est peculiari, & duobus præterea lympham evehentibus vasis donata.... Hæc vasa intra glandulam orta, & ad cartilaginis latera assurgentia, ubi hæc superiora versus arctatur cartilaginem inter & oculum se aperiunt ostiis non papilla quadam sed solo hiatu dignoscenda. Licet priora memorata vasa, quæ ad glandulam innominatam pertinent, in brutis tantum animalibus observaverit Steno, non dubitavit tamen asserere in humano etiam inesse corpore. Sed hæc in homine adeo obscura esse tradit Hallerus (2) ut a se non solum, sed & ab ipso Morganio (3) nunquam fuerint visa, etsi non ignoret affirmasse Sanctorinum, Winslowium, Briggsium, Brisseauvium, aliosque eadem se omnino vidisse. Quamvis autem Morganius allatis Galeni & Faloppii verbis ostendisse videatur neque Galenum

pun-

puncta lacrymalia & horum usum, aditumque, qui ab iisdem est ad nares usque, perpetuus, latuisse; & Faloppium praeterea meatus ab illis punctis in communem sinum convenientes aperte & nominatim proposuisse; nihilo tamen minus cum ipso Hallero fatendum est, numquam errandi finem factum esse, donec Steno alios ductus hygrophtalmicos, Morganius vero ipse accuratam carunculae anatomen in medium protulere. Equidem non dubito quin majorem etiam Stenoni laudem tributurus esset Hallerus, si cum ea scriberet, innotuisset quam feliciter Monroous junior hos ductus glandulae lacrymalis excretorios etiam in homine agnoscendos necessario esse demonstraverit. Scripto huic *de oculorum glandulis novisque eorundem vasis* aliud adjunxit Steno quasi operis appendiculam *de narium vasis*, quo declarat se praeter aquaeductum, & glandulas pituitariae, punctorum etiam lacrymalium in nares usque continuationem, aliumque naribus proprium ductum, omnia nares hume-

mectantia vasa, & simul angustum quasi fretum, per quod contentus in naribus humor in palatum transmitti non admodum ex vero putabat, observasse (4). Istud oris cum naribus commercium facile iis apparere affirmabat, qui ad anteriorem dentium radicem tunicam vel tantillum presserint tuberculi ibi exsurgentis, ex cujus oppositis lateribus pressione junctis guttam prosilire vidissent. Hinc admonet Steno hujusmodi ductus distinctos esse in ceteris animantibus & separatos; in homine vero conjunctos priusquam in os penetrent. Nehedamius eadem se prædicat observasse, neque a Stenone sumpsisse dicit. Quod & Colinsius fecit. Nemo tamen horum animadvertit quam incerte transferantur ad hominem observata a Stenone in brutis animantibus. Quamvis enim in hominis capite membrana sua denudato hujusmodi canalis reperiatur, si tamen adest membrana vix ac ne vix quidem apparet. Primus id notavit Verreheyenius, qui multam operam in hac

re

re investiganda posuit. Ejus postea exemplum alii secuti sunt, omnibusque anteivit Morganius, ex quo inter cætera scimus, quamvis hujusmodi ductus aperti sint in parte narium, sintque separati & distincti, illorum tamen ostia in palato adeo angusta esse, ut vix liquido humori transitum præbeant (5). Omnia fere quæ antea separatim exposuerat Steno de glandulis complexus est unico Tractatu de ipsis glandulis. Sed hic quoque habet sua propria, e quibus maxime commemoranda videntur tum canaliculi glandulæ epiglottidis per hujus foramina traducti, qua observatione Stenonis licet nihil verius esse doceat Morganius, illam tamen aliis additamentis perfici a se oportere putavit; tum descriptio viæ quam tenent vasa lymphatica, horumque introitus in glandulas & ab iis egressus. Sunt omnino legenda quæ tradidit Hallerus de hoc Stenonis invento, quod quidem magno usui fuit illi ad varias humorum separationes explicandas (6). In hoc de glandulis Tractatu non

so-

solum ordine enumeravit Steno illa omnia quae sibi invenire contigit, sed recensuit etiam aliorum reperta, quae suis lucem afferre possent: postremo neque ea praetermisit quae conducere putavit ad explicandos plurimos naturales effectus, originem lymphae, lacrymarum, lactis, catarrhi, & humoris, qui in ventriculum perpetuo diffluit. Ex observatis a se probabiliter confici posse existimavit, glandulas conglobatas cribrorum esse quasdam similitudines ita a natura comparatas, ut dum ex arteriis in venas per capillaria transit sanguis, liberatae a sanguinearum amplexibus vi caloris serosae partes per suos quaeque poros expellantur in capillaria lymphaticorum: facere enim ad id nervorum, ut ipse quidem putabat, extremis venis affixorum directionem elicito per sensuum perceptionem mentis imperio subjectam. Quam opinionem licet plerique recentiorum physicorum, & Malpighius ipse sint secuti ad explicandam praecipue sudoris secretionem, jure tamen meritoque, ut

ar-

arbitror, nos admonuit Heisterus, non ea esse multitudine glandulas cutaneas, qua superiores illi autumant, iisque attributum munus materiæ quæ expiratur secernendæ a solis in cute arteriolis confici posse (7). Tractatum de glandulis secutum est commentariolum de musculis, quod quanti faciendum sit ex præclaro Boerahavii testimonio colligi potest, qui Stenonem exercitatissimum licet Anatomicum non alia tamen parte Anatomes magis excelluisse confirmat (8). Præcipuum operis argumentum quod sibi proposuit Steno fuit cor, cujus fibrarum ductus & varias inflexiones dum sequitur, novis inter dissecandum subinde ortis difficultatibus, musculorum aliorum corde simpliciorum fabricam attentius considerare necesse fuit. Hinc omnes eos musculos, qui respirationem tuentur, descripsit, & de costarum levatoribus ea tradidit, ut mireris horum inventionem Verrheyenio a plerisque tribui. Recte vero monet ab intercostalibus illos distinguendos, quod & ortu diversi

sint,

ſint, & diverſum tendinis habeant locum, quamvis omnes idem præſtent munus. Sacrolumbi muſculi & Diafragmatis, de quibus multa tradebantur dubia, nonnulla etiam commentitia, exquiſitam deſcriptionem fecit, & uſus indicavit; inter quæ laudare præſertim videtur Morganius celeberrimum, notiſſimumque experimentum ad muſculorum motum explicandum (9). Inde alios aliosque muſculos ad examen vocans Steno inter cetera erroris illos convincit, qui exiſtimabant crotaphiten a maxilla ad cranii uſque os minime produci, & linguæ muſculorum extrema in peculiarem deſinere ſubſtantiam. Quamvis nonnulli, & in his Nicolaus Maſſa negaverint peculiarem hanc ſubſtantiam, muſculoſam eſſe affirmantes, nemo tamen ante Stenonem iſtud ipſum clara certaque notatione oſtenderat. Ex obſervatis a ſe concludere ſe poſſe ait, in omni muſculo eſſe arterias, venas, nervos, fibras & membranas; illud etiam addit requiſiſſe, num eſſent lymphatica, quæ ſæpius circa ipſos vi-

viderat, ſed minime reperiſſe. Nullum eſſe muſculum docet, cujus ſingulæ fibræ minime abeant utrinque in tendinem; carnem haud differre a fibris; has invicem arcteque connexas tendinem componere; laxius junctas carnem efformare; alias aliis ſuperimpoſitas muſculi craſſitiem ſeu profunditatem, alias aliis juxta poſitas ejus latitudinem efficere; & nullam in muſculo facile reperiri fibram, quæ unam rectam conſtituat lineam, ſed ſingulas in tres minimum lineas dividi, neque has ejuſdem longitudinis, nec ſemper rectas eſſe, ſed interdum etiam curvas, uti in ſphincteribus videri præſertim poteſt, quos e muſculorum numero eximendos eſſe nemo affirmaverit. Si quis hæc comparaverit cum iis, quæ recentiores tradunt Anatomici, non dubito quin eam maxime converſionem rerum, linearumque diviſionem facile ſit improbaturus. Membranam non modo tranſverſo fibrarum ductu muſculum ambire, ſed & eodem modo inter ſingulas ejus ſe inſinuare fibras tradit; ipſam-

que non communem esse omnibus musculis, sed cuivis musculo suam, & singularem inesse demonstrat. Explicata musculi structura ad ejus actionem, quam in contractione consistere notum est, transit, eamque ope tendinis, ut vulgo credebatur, nullatenus fieri, neque omnino contrahi tendinem affirmat, sed carnem inter expansiones tendinosas comprehensam, quæ in se contracta efficit, ut opposita duo vel plura ejusdem musculi ventris plana ad se mutuo (tendinibus nec longitudine immutatis neque crassitie) propius accedant. Hisce Steno aliisque expositis, quæ vel sensus deprehendere vel assequi ratio potest, ad extremum conficit cor animantis vitæ fontem atque principium in musculorum classe jure censendum; nihil enim in eo desiderari quod musculo datum, nec quod negatum in ipso inveniri; inde eos falli qui ajunt cor esse sui generis substantiam, & certæ substantiæ, ut ignis, calidi, quemadmodum loquebantur, innati, & animæ sedem, atque uti sanguinis,

nis, ita humoris cujusdam, spirituumque, quos animales fortasse dixeris, officinam. Dum vero totam cordis fabricam persequitur Steno, quanquam labi ille interdum, & confusius atque obscurius loqui videatur, nunquam tamen satis laudari potest, quod inter primos ad eandem fabricam contemplandam physicam adduxerit; quod viam ceteris aperuerit ad veritatem aut assequendam aut illustrandam; fatendumque cum Hallerio (10) non mediocrem quoque laudem in eo mereri, quod ante omnes viderit externum fibrarum stratum utrumque ventriculum complectens, quodque fibras, quæ ventriculorum caveas subeunt, descripserit post eum a Pechlino dictas, easque etiam, quæ circa conum reflexæ ad basim redeunt. Tanta vero Steno pollebat sollertia in cordis anatome præparanda, ut Ruyschius (11) commemoranda putaverit bina quæ ab eodem secta habuerat corda: nihil enim fieri iis poterat perfectius ad fibrarum præsertim cursum noscendum. Ad hæc proditum ab aliis me-

memoriæ fuit, Stenonem maceratione, coctione, aliisque artibus in filamenta fere ad fumi modum tenuia cordis texturam resolvisse. Triennio postquam hæc vulgaverat Steno, copiosius musculi naturam, partes & fabricam, edito *Elementorum myologiæ specimine*, exponere est aggressus: sed magis quam Anatomici Geometræ personam agere voluit, cum ad matheseos regulas musculi figuram apte redigendam & juxta canones inde sumptos ejus actionem explicandam suscepisset, existimans non posse musculi distincte partes nominari, figuram exprimi, motum definiri, nisi matheseos subsidio myologia uteretur. *Et quidni musculis id daremus*, ajebat Steno, *quod Cælo Astronomi, quod terræ Geographi, quod oculis rei opticæ scriptores concessere? Res naturales mathematice tractarunt illi, quo distinctior earum esset cognitio; & musculos mathematice explicandos illorum fabrica quadam quasi necessitate postulat. Sed quid musculis ea vindico, quæ toti corpori debentur? Organum est corpus no-*

strum

strum ex mille organis compositum, cujus veram cognitionem, qui absque matheseos ope investigandam credit, sine extensione materiam, sine figura corpus credat necesse est. Hæc idcirco proferre volui, ut intelligatur, quare proximo exeunte sæculo mechanica, hydrostatica, atque hydraulica dogmata in physiologiam traducta sint. Quæ res etsi habeat suas utilitates, habet quoque difficultates præcavendas. Multa enim sunt in animali machina a communibus legibus mechanicis valde aliena: motus magni a parvis caussis excitati; celeritates humorum per eas caussas parum diminutæ, a quibus per receptas leges eas frangi oportuerat; motus a caussis pene incognitis existentes; motus vehementes a debilibus fibris geniti; decurtationes fibrarum omni supputatione majores; multa præterea, quæ rerum Opifex veluti quædam mysteria naturæ retrusa voluit esse atque abdita. Neque his rebus repudiandas leges crediderim, quibus extra corpus animale vires motrices reguntur; id

contendo nunquam transferendas ad nostras animati corporis machinas, nisi experimentum consenserit. Sed ut ad præcipuum operis argumentum veniam, Steno postquam ostendisset, qua ratione carneæ fibræ in tendinem vel continuarentur vel insererentur ad angulos obliquos, quos musculos dixit pennatos, vel in multos lacertos ordinatæ in unum tendinem convenirent, & qua ratione tendines ætate provectiore in ossium ipsorum naturam coalescerent, demonstrandum suscepit musculum dum contrahitur inflari solum posse ob mutationem figuræ ex rhomboide in rectangulum, vel, ut ejus more loquar, ob mutationem anguli carnosarum fibrarum cum tendinosis; & hanc mutationem, dum musculus movetur, necessario accidere debere: ex quo infert eos omnes falli, qui novam accedere materiam existimabant ad inflationem efficiendam. Mirandum sane est Stenonem fugisse rem Geometris notissimam; non posse, obliquangula parallelogrammata in

qua-

quadrata abire aut rectangula, quin nova accedat materies, qua majores tunc factæ areæ repleantur *. Objici & illud Stenonis doctrinæ potest, in quo ipsa nititur; figura scilicet musculorum. Sumit enim figuram parallelopipedam obliquangulam (licet enim iis Geometrarum vocibus uti) quam inter omnes maxime regularem iidem dicunt, propriam esse carnosæ musculorum substantiæ; tendinosæ autem figuram prismatis tetragoni similiter obliquanguli. Figuram hanc geometricam adamussim ita compositam ne notiores quidem magisque regulares musculi servant, ut ut ad eam proxime accedant: deest autem omnino multis in musculis, qui per humanum corpus universum late funduntur, quique irregulares vocari consueverunt. His accedit celebre idemque facile experimentum, quo persuaderi videtur, musculos, cum contrahuntur, mole deficere, non autem in-

* Vid. Boerhaav. Prælect. Vol. II. §. ccccxv. & Haller. in ipsum commentar.

tumescere, ut cum plurimis aliis Steno ipse docet. Claudit *Elementorum myologiæ specimen* epistola ad Thevenotium ex qua apparet ea quæ tanquam nova proposuit Steno de corde, & de vitelli in intestina pulli transitu, jure sibi, contra ac nonnulli clamabant, vindicasse. Liquebat profecto Volkerum Coiterum apophyseos ab intestinis ad vitellum meminisse, eamque modo canalem, modo meatum nominasse. Sed quam obscure id fecerit vel inde patet, quod nec Harvejus, nec Anatomicorum alii, qui Scriptorem illum sedulo evolverunt, in ejusdem rei suspicionem venire potuerunt. Postquam sua ediderat Steno ex amicorum litteris didicit, Huibertum & Meibomium eumdem canalem antea observasse. Quibus ita rescripsit sibi gratulari se non ab aliis monitum eadem quæ doctissimi viri observasse, nec moveri quod post alios hæc viderit, modo non surripuisse accusaretur (12). In iis quæ ad cor spectabant visus est nonnihil loci iniquioribus dedisse lectoribus secus existiman-

mandi. Sed ingenue aperteque confessus est, nunquam sibi tantum sumpsisse, ut homines judicarent se omnium primum docuisse cor musculum esse, & in modum spiræ revolutas habere fibras; verum in eo gloriari, quod medium cordis carneas fibras, extremum tendinosas esse demonstraverit, quodque finem imposuerit controversiæ, in qua Hippocratis & Galeni sectatores, Andabatarum fere more pugnabant, quid oppugnarent ac defenderent aut nescii aut saltem incerti. Quoniam vero fundamenta ejus de corde doctrinæ maxime nitebantur in fibra motrice, plura exposuit argumenta atque experimenta, quæ magis magisque comprobabant, illam in omnibus non hominis solum, sed & cujuslibet animantis musculis inesse. Extrema in epistola iis demum satisfecit, qui myologiam satis illustratam esse putabant; eademque occasione recenset ea quæ in musculorum historia restabant indaganda; de qua, ut de ossibus, plura scribere sibi propositum fuisse ait. Absoluta epistola,

ut

ut varietate lectores oblectet, refert ea quæ in dissectione capitis canis carchariæ, & alterius piscis ex canum genere observaverat; quæ quidem aliis observationibus illustrata non mediocriter zoologiam auxere. Principio confirmavit opinionem, quam in Rajae anatome explicanda antea proposuerat de fontibus unguinosi humoris piscium superficiem oblinentis ad obstantes aquas facilius findendas, & de vasis excretoriis quæ a glandulis, ut ipse putat, oriuntur, sive glandulæ istæ cuti substernantur, sive intexantur, sive utroque modo sint dispositæ. Cutis ipsa crassa admodum & dura tot tantosque in cane carcharia musculorum tendines excipiebat, ut tota nil nisi tendinum istorum textura videretur. Quod idem cum in aliis piscibus, & in serpentibus quoque observasset, suam correxit sententiam, quam Rajæ anatomen exponens in medium attulerat, videlicet tendineas fibras non cuti inseri & continuari, sed in membranam cuti arctissime junctam tantummodo porrigi. Hoc loco ostendit etiam, qui

mu-

musculi in humano corpore tendines cuti habeant continuatos; & ex multis allatis historiis certe concludere se posse putavit maximam cutis partem, secus ac alias docuerat, ex fibris arteriarum, venarum, nervorum & tendinum contextam esse. In eo quidem deceptus est Steno cum in admodum paucas humanæ cutis partes ipsi tendines desinant, ac facili negotio, ubi desinunt, per artem anatomicam separentur. Sed parcendum est viro, qui plerumque in corporibus dumtaxat brutorum animantium suas observationes instituere potuit, ac de homine per analogiam quædam minus vere intulit in iisdem brutis feliciter animadversa; quod ex iis etiam, quæ infra de ossium origine dicemus, apparebit. Idem ex demonstrata tendinum in cutem insertione evidens esse ait, quid de plerisque membranis statuendum; non illas semper tunicas esse, quæ vicinas partes contingerent, hisque tenaciter adhærerent: sed illas esse persæpe iisdem continuatas & junctas ob fibrarum a tunicis

in partes vicinas, aut a partibus vicinis in tunicas tranſitum. Oſſium vice erat in cane carcharia cartilago. An ut in animalibus aliis oſſa, ſic in hujus generis cartilago magnam partem conſtet ex fibrarum motricium extremitatibus, quamquam dubitari jure poſſit, id tamen manifeſtum eſſe tradit Steno: partem duriorem harum cartilaginum innumerabiles tendines excipientem ex iiſdem tendinibus quaſi totam conſtare. Poſtquam Steno non ſolum carchariæ canis, ſed aliorum etiam animalium dentes examinaſſet, tria hæc concludere ſe poſſe putavit; primum dentium materiem initio mollem, proceſſu temporis, ut reliqua oſſa, indureſcere; alterum eſt, hanc duritiem ab apice incipere, & hac in re eos differre ab reliquis oſſibus, in quibus fere omnibus primi nodi circa medium conſpiciuntur; illud vero extremum fuit, duplicem eſſe dentium ſubſtantiam, externam alteram, alteram internam, neque hanc membranæ nomen mereri. Hæc pauca admodum eſſe intelli-

ge-

gebat Steno ad obſcuram dentium naturam cognoſcendam; dolenſque ex hujus ignoratione multa evenire mala, ejuſdem ſe fore diligentem indagatorem pollicitus eſt; quod promiſſum ſi exolvit, cum in publicam lucem nihil protulerit, haud exolviſſe videtur. De Gloſſopetris majoribus, quos veros eſſe canis carchariæ dentes haud dubitat, pluribus differit, eritque alius opportunior rationum hujuſmodi ſententiæ exponendarum locus. Non minus ſolertem accuratamque deſcriptionem inſtituit Steno corporis partium, quas in altero diſſecando piſce animadvertit. E quibus illa maxima ſunt commemoranda, quæ de ovario, oviductu, & ovo expoſuit; cumque jam vidiſſet eorum teſtes animantium, quæ vivos ex ſe procreant fœtus ova in ſe continere, notaviſſetque eorundem uterum itidem in abdomen, oviductus inſtar apertum eſſe, ſe non amplius dubitare ait, quin mulierum teſtes ovario ſimiles ſint, quocunque modo ex teſtibus in uterum ſive ipſa ova, ſive ovis conten-

ta

ta materia tranſmittatur, de quo invento, quod omnes maxime celebrarunt, ſeparatim & diſtinctius ſe acturum ſpopondit. Fecit autem peculiari commentario; idque a Thoma Bartolino relatum fuit in Acta medica Hafnienſia. Declarat nomine ovi ſe appellare veſiculas rotundas, quæ teſtes magna ex parte formant; hos vero ovariorum, & tubas cornuaque & uteros oviductuum nomine deſignare. In medium attulit magnam obſervationum copiam quas ex plurimis diſſectis animalibus, vaccis præſertim, collegit; hiſque ſe demonſtraſſe putat in omnibus fœminis hæc ova ineſſe; eadem cocta gallinaceorum more coagulari; cum vero habuere maturitatem quamdam ſuam per ſuperincumbentes tubas in uteri cava deſcendere. In cadavere cujuſdam mulieris, quæ annos circiter L. habebat invenit ovaria plena veſicularum; cum premeret cervicem uteri feroſus inde prodibat humor. In rotundo ligamento uteri fibras motricibus ſimillimas vidit, quæ os pubis verſus abibant. Secuit

dein-

deinde duas alias fœminas ejuſdem ferme ætatis, & in unius teſtibus obſervavit nonnulla arenoſa grana, & binos calculos; quorum unus rotundus erat & minutiſſimus, major alter & plurimis tuberculis inæqualis. In uno teſte alterius mulieris erat corpus tuberoſum figura ſimile poſterioris, de quo diximus, calculi, materia vero prorſus diſſimile, cum hæc non multum differre videretur ab illa ipſorum teſtium. Quartam ſecuit mulierem & hanc juniorem in qua multa erant ova & rotunda, nec ejuſdem magnitudinis omnia, omnia tamen vix ſeparabilia propter ſoliditatem materiæ, qua continebantur. In quinta demum muliere attente obſervans ligamenta rotunda uteri, invenit vaſa ſanguinea nervos, & fibras carnoſas uteri ſubſtantiæ contiguas. Tubæ extrema laciniata diſtincta erant ſanguineis vaſis per longitudinem excurrentibus, fere ut in branchiis piſcium. Intra tubas fibræ in longum pari ratione progrediebantur. Inflatus aer ex tuba in ute-

rum

rum transibat. Nemo fuit iis temporibus alicuius nominis Philosophus, qui Stenonis doctrinam de ovis viviparorum minime sit secutus; & quamvis multi ipsam hodie deseruerint, non tamen eadem plane defecit. Quid sentiendum in re dubia minime pronuntiaverim contentus admonuisse Lectores, Graasium & Van-hornium frustra inter se pugnasse, cum eorum quilibet hujus inventi gloriam sibi tribuendam esse contenderet; hanc omnium consensu Stenoni deberi (13); quamvis ejusdem rudimenta quædam & vestigia reperiantur in Hippocrate, in Aristotele, recentioribus præterea quibusdam Matthæo de Gradibus, Coitero, Aldrovando, Fabricio denique ab Aqua pendente. In exponendis iis, quæ ad myologiæ specimen & ad viviparorum ova spectant, argumentorum magis, quam temporum ordinem sum secutus; quem ut repetam, necesse erit cum Stenone ad Batavos reverti. Ibi cum ad enumerandas totius corporis glandulas, & ad miram cordis fabricam indagandam uni-

unice esset intentus, de morte carissimæ matris, aliorumque propinquorum acerbum nuncium accepit. Hic non modo studiorum, sed & vitæ pene jucunditatem illi ademit; & quo rebus suis consuleret (nam patrem antea quoque amiserat) Hasniam redire coactus est. Non diutius ibi mansit cupiens Galliam & Italiam invisere. Cumque Parisios an. MDCLXIV. venisset, exceptus hospitio fuit a Thevenotio; illiusque consilio & subsidiis factum est, ut studia anatomica repeteret, & in chemicis, duce præsertim Petro Borello, plurimum se exerceret. Hoc sibi multo jucundius & gratius accidisse dicebat Steno, quod in magna paucitate amicorum, propinquorum, ac necessariorum, qui vere studiis & rebus suis faverent, illum cupidissimum sui, singularemque sibi benevolentiam semper præstitisse cognovit. Itaque in hoc sibi gratulabatur; nec mediocris illa quoque erat caussa gratulationis, quod flos doctorum virorum domum Thevenotii, tanquam Academiam, fre-

O quen-

quentaret. In tanto conventu sæpe sua exposuit Steno; (14) & ex his maxime commemorabimus, quæ cerebri anatomen illustrant, quæque ab ipso in lucem sunt edita. Principio probat quam illius natura sit obscura, & quam difficiles explicatus habeat. Quamvis enim animus hoc maxime instrumento utatur, & nihil esse videatur, quod ipse mirabili quadam vi rationis, & cognitionis & scientiæ assequi non possit, nihilo tamen minus cum domum, ut ita dicam, sese recipit, neque hanc, neque se ipsum noscit. Multa quæ iis temporibus vulgo tradebantur diluit Steno, & falsa esse docet; irridetque eos, qui nominibus contenti albidæ & ciner aceæ substantiæ, nil aliud quærere videbantur. Albidam præsertim substantiam fibris præditam esse ostendit, & has miro quodam ordine distribui atque disponi. Enumerat varias physicorum opiniones de separatione humoris, quem ipsi nominant liquidum animale, hasque omnes valide convellit. Dubitari posse ait an humoris,

qui

qui in nervos influit, eadem sit materia quæ lucis, qua de re ei non solum magnam laudem, sed etiam gratiam habebunt, qui nervis *fluidum electricum* tribuunt. Suam rationem in dissecando cerebro hanc docet fuisse, ut sequeretur nervorum fila intra ipsam cerebri substantiam videndi caussa qua transeant, & quo pertineant. Haud dissimulat difficillimam esse hanc rationem, sed reliquis omnibus præferendam. Pene irasci & succensere iis videtur qui non intelligebant, quam in inquirenda cerebri natura necesse esset haud variare illius positionem. Erant enim nonnulli qui quibusdam ejusdem partibus locum illum assignabant, quem non natura dederat, sed qui commodior & aptior erat ad id, quod persuadere volebant. Willis & Chartesii συςήμασιν nihil ei videtur absurdius; & inter cetera ostendit horum postremum non bene novisse locum glandulæ pinealis, cum eam non posterius, sed anterius inclinatam esse crediderit. Quærit utrum ventriculi tales sint, quales

vulgo defcribuntur, probatque ex varia illos diffecandi ratione variam ipforum formam apparere. Sunt in hoc opufculo multa alia, quæ non parum adjuvant praxin Anatomiæ, & ad indagandam, atque e tenebris eruendam veritatem vias tradunt. In his vero omnibus femper elucet mira Auctoris prudentia, modeftia, ac fimplicitas, adeo ut vere prædicatum fuerit ab Hallerio (15) virum fuiffe induftrium, candidum, innocuum & magnum inventorem. Poftquam Steno amori fuo in phyficas facultates, quantum fatis effe videbatur, in Gallia obfecutus effet, in Italiam venit exeunte vere an. MDCLXVI. manendique in Etruria cauffa fuere Etrufcæ linguæ, optimarum artium, & philofophiæ ftudia. Florebant enim tum homines doctrina præclari Francifcus Redius, Vincentius Vivianius, Carolus Datus, Laurentius Magalottus, aliique plures, qui cum intelligerent, quanto decori & utilitati futurus effet Steno Mediceis Principibus, optimifque difciplinis, quæ ab Academia

præ-

præſertim *del Cimento* excolebantur, de illo retinendo elaborarunt. Unus fortaſſe Borellius invidebat laudi Stenonis ægre in primis ferens ab illo res tractari, quæ ad myologiam pertinebant, in quibus ipſe quoque ita verſabatur, ut veri inveniendi cupiditati adjuncta eſſet appetitio quædam principatus. Et ſane operis ſui *de motu animalium* initium fecit a cenſura formæ muſculorum, & mechanicæ illorum actionis, quales a Stenone expoſitas fuiſſe diximus. Porro Magnus Dux Ferdinandus, illiuſque frater Leopoldus non habuere quidquam antiquius quam ut familiaritate, ſummiſque beneficiis ſibi Stenonem devincirent; nec credibile eſt quantis exultaverint gaudiis, cum ipſe ineunte Novembri an. MDCLXVII. Lutheranæ Sectæ, ut Catholicam amplecteretur, nuntium remiſit. Non commemorabo quomodo res ſit geſta; & quomodo divinæ gratiæ ſemina inciderint in concipientem comprehendentemque naturam, nactaque ſint materiem, ut ita dicam, qua ali, auge-

ri, & miros procreare fructus potuerint, cum hæc omnia sciri possint ex ipso Stenone, & ex iis, quos consiliarios & auctores suæ salutis habuit. Eorum enim hac de re litteras retuli in II. Volumen operis, quod inscripsimus: *lettere inedite d' uomini illustri*. Quoniam vero vita quidem talis erat Stenonis, talesque mores, ut nihil videretur posse accedere, se habere exemplum innocentiæ gloriabatur Magnus Dux Ferdinandus, quod omnes ac filii præsertim sui, imitarentur. Sed tanta virtus, tantaque vis ingenii abfuit aliquandiu ab oculis Etruriæ, cum is non solum invitatus, sed pene coactus fuerit ann. MDCLXVIII. Danos suos revisere (16). Dum se ad proficiscendum pararet typis commisit *Prodromum Dissertationis de solido intra solidum naturaliter contento*, ut aliquo modo Ferdinandi studiis faceret satis. Hic enim noscens miram Stenonis intelligentiam in rebus naturalibus facile ab ipso obtinuerat, ut argumentum omnium difficillimum, unde multa corpora sint orta,

ge-

generata & concreta tractaret. Hanc Dissertationem Etrusce scribendam susceperat Steno, quo benemereretur de Furfureorum, ut vocant, Academia, in quam cooptatus fuerat; & quo multæ res, quæ ad Etruriam pertinebant notæ ac manifestæ fierent omnibus illius incolis. Dolendum vero omisisse ea quæ in manibus habebat; nihilque ad nos pervenisse nisi Prodromum illum, in quo tres opiniones exponit jam tum apud physicos celebratas de origine testaceorum fossilium, aliorumque corporum, quæ animalia vegetabilia appellantur, quæque in superficie, sive in visceribus montium aut collium inveniuntur. Jam tum erant aliqui, qui cum numero potius quam structura talium corporum, quæ nunquam satis apte perpenderant, commoverentur, ipsa a terra genita esse affirmabant crystallorum instar & salium, & earum, quæ marchesitæ dicuntur. Alii credebant a mari advenisse, & ipso mari olim detumescente, ac cedente, solo adhæsisse iis in locis, in

quibus reperiuntur : alii demum partem eorumdem corporum terræ, partem mari acceptam referebant. Ipse autem Steno acerrimus indagator venatorque naturæ alteram illam opinionem amplectitur, validisque rationibus, tum experientia tum dialectica innixis ostendit, fossilia testacea fuisse animalium plerumque marinorum spolia. Inter multa observata a tanto viro & animadversa præclare, mirum profecto accidit ipsum cum tot fossilium, ossium gigantum & elephantum invenire vellet originem, eamdem magna ex parte ab elephantibus repetiisse in Etruriam ab Hannibale deductis. Etenim historia docet illustrem eum Ducem post alpium transitum non alios nisi unum, aut ad summum duos elephantes habuisse. Admodum perspicue demonstrat terrarum strata, quibus montes & colles componuntur, ab aquis fuisse relicta. Animadvertit etiam omnia illa strata initio ad orizontem fuisse versa; majorem autem aut minorem, magis

aut

aut minus perfectam inclinationem eorumdem ad orizontem aut casu aut ab igne subterraneo extitisse ; qui cum immensa vi in altum strata projiceret, efficiebat utique ut ea recidentia in suppositas voragines, figura ipsa haud leviter immutarentur: repeti etiam a subterraneis aquis miraculi caussam posse, quae aquae cum eadem strata subter corroderent, cavernasque efformarent, id praestabant, ut ipsa proprio lata pondere, fornicem, ut ita dicam, ipsarum cavernarum disrumperent. Hinc vero fieri debebat, ut cum cavernarum lacunas ipsa replerent, aut magis aut minus ad orizontem inclinari debuerint, quod perspicue apposita libro figura idem Auctor ostendit. Ejus autem doctrina in eo praecipue est, ut sex succedaneas facies aut strata terrestris globi consideret. Prima facies ea est qua globus universus aquis contegebatur, quo tempore neque animalia neque vegetabilia existebant ; quod quidem etiam sacrorum librorum auctorita-

ta-

tate confirmat. Jam vero ab aquis hisce relicta strata unius formæ esse debent, neque partes aliquas animalium sive plantarum, aut vegetabilium amplecti. Altera facies plana est atque arida ipsius globi, quem aquæ reliquerant, animalibus plantisque distincti. Tertia facies est aspera & inæqualis, quam aut ignis, ut diximus, aut aquæ subterraneæ induxerant. Sequitur eam quarta facies, cum iterum diluvii aquis globus universus contectus est, quæ scilicet cum terrea multa relinquerent spoliis, ac partibus etiam animalium atque plantarum immixta, novis terrarum stratis valles repleverunt, iterumque planam globi faciem exhibuerunt. Hinc cum aquæ marinæ consedissent, ea quinta facies æque in omnes partes fusa, eademque arida globi extitit. Sed ignis & aquæ subterraneæ adspectum terræ, qua diximus ratione, asperum effecerunt, atque stratorum ordinem multis in locis immutarunt; ex quo factum est ut quæ ad orizontis normam inclinata jacebant, aliis mo-

modis disponerentur, & alias in figuras evaderent, quæ nunc a nobis animadvertuntur. Hoc quidem σύςημα suis laborat difficultatibus ac vitiis. Fatendum tamen est doctiorum recentiorum his de rebus excogitata vel eodem numero, vel fortasse majore difficultatum premi. Præterea de varia chrystallorum & marchesitarum, quas diximus figura ac generatione admodum accurate loquitur Steno, ostenditque neque tempori se, neque labori pepercisse, ut omnia hæc suas in classes distributa cognosceret, earumque naturam penitus investigaret. Quare fecit, ut judicaverint homines doctissimi, non facile statui posse magis ne Anatome excelluerit Steno, an Historia naturali. In utraque certe disciplina se exercendi infinita propemodum subsidia ac commoda habuit a liberalitate magni Ducis, easdemque plurimum auxisset, si ea in vulgus omnia edidisset, quæ in Etruria degens seposuerat. Quantam cupiditatem naturæ investigandæ hominibus injiceret Princeps, si

quis

quis unquam alius ſcientiæ cupidiſſimus, ſæpe a nobis commemoratum eſt; nec dubitamus hoc in maxima ejus laude ponere, quanquam omnibus fere laudibus celebraretur. Cum domi ſuæ collegiſſet magnam rerum copiam, quæ ad hiſtoriam naturalem pertinebant, earum ordinandarum, explicandarumque curam Stenoni dedit. Hic vero deſiderio Principis non ſolum Florentiæ, ſed etiam Piſis cumulatiſſime ſatisfecit, cum Piſana Academia ipſa quoque haberet ſuum muſeum, quod operam Stenonis deſiderabat. Extant adhuc quæ ipſe hac occaſione ſcripto mandavit, ex quibus ejus diligentia & doctrina facile cognoſci poteſt. Ex multis vero obſervationibus anatomicis, quas juſſu Ferdinandi fecit, relatæ nonnullæ fuerunt cum aliis ipſius ſcriptis in Acta medica Hafnienſia, ex quo libro commemoranda ſeligemus, quæ magis favere Stenonis gloriæ videntur. Ut autem a laudabilioribus ordiamur, de ovo & pullo ea tradidit Steno, ut amplius dubitare non poſſimus, quid

ſit

ſit in ovo quod formando nutriendoque pullo inſerviat. Hiſtoriam muſculorum aquilæ ſic contexuit, ut eam laudare præſertim debeant, qui ſciunt nihil rarius fuiſſe apud phyſicos ſcriptores ſuperiorum temporum novitate rerum obſervatarum, ſolertia & acumine in ipſis peragendis obſervationibus, horumque accurata & facili deſcriptione. Poſtquam diu multumque in felle examinaſſet periſtalticum inteſtinorum motum, vaſorumque biliariorum multos magnoſque tumores, ad cor, in quod præcipue inquirebat, remeavit, in eoque quieta omnia eſſe invenit. Sed vix ter quaterque digitis ipſum compreſſerat, cum illico reddi ei & venæ cavæ ſuos motus & hos diſtinctos, quamvis raros admodum, non ſine admiratione obſervavit. Renovavit idem experimentum in cane, qui diu mortuus eſſe videbatur, renaſcebaturque motus non ſolum ſi premeret cor, ſed etiam ſi pungeret dextrum illius ventriculum. Pars ventriculorum ex muſculi maſſa ſeparata certo quodam tempore mo-

veba-

vebatur. Cor canis occisi haud multo postquam in lucem venerat rubescebat quando dilatabatur, seu quando illius acies recedebat a basi, ipsa vero accedente, pallescebat. Motum auricularum non semper respondere putavit motui ventriculorum cordis. Vena cava ipsa quoque motum sibi proprium habebat. Motus auriculæ ab uno incipiebat angulo, & in alterum desinebat. Idem pro certo se habere dicit præsentiam sanguinis in corde ad hujus pulsationes conferre plurimum. Motum cordis in fætu cuniculi examinans, illud distendi notavit, ubi sese contraxerat. Postquam plane cessaverat motus in cordis ventriculis, animadvertit dexteram auriculam moveri, cumque ipsa quoque moveri desiisset, motus signa in vena cava dumtaxat apparebant. Si spiritum immitteret, aut digiti extrema cordi admoveret, in eo motus iterum existebat. Ex quibus aliisque rebus tria hæc inferre se posse putavit: primum pressione, punctione, flatu, & calore motum in corde renova-

novari; deinde motum hunc non esse universæ cordis substantiæ, sed singularum fibrarum, quamvis hæ extremitatibus suis careant; denique non eodem tempore contrahi fibras omnes, sed sensim & continuata motione quadam ab uno in alterum extremum, eodem ferme modo quo peristalticus in intestinis motus peragitur. Plura se explanaturum promisit Steno in magno opere, quod in manibus habebat de cordis fabrica, cujus rei si non perfectio, at conatus tamen & adumbratio plurimum laudanda est. Quæ *de utero leporis proprium fœtum resolventis* tradidit Steno declarant qua ratione opus ipsa suum eadem, quæ coagmentavit, natura dissolvere potuerit. Et postquam caussas hujus dissolutionis ille exposuisset, minime se dubitare dicit quin intra uterum dissolutæ quædam molliores fœtus partes per venarum ostia novum sanguini humorem, quo alatur mater, præbere possint. Hoc eodem loco exposuit Steno notata a sese in dissectione duorum anserum, quæ probare videntur

un-

unde esse possit magnum jecoris incrementum, & varietas coloris in sanguine. Quæ vero signa naturæ dare possit hæc varietas, ipsius Stenonis testimonio, habitisque ab eo experimentis declarat Thomas Bartholinius in libro, quem inscripsit *Opuscula nova Anatomica* (17). Dissecuit Steno vituli monstrosum caput, in cujus cerebro magnam aquæ copiam libras fere IV. pondo, & sub cranio in narium radice apostema invenit tribus digitis longum, sesquidigito latum, & digito fere profundum, repletumque materia quadam alba & pingui. Aqua sapore salso & colore rubicundo prædita erat: adeo vero ipsa dilataverat cava cerebri, ut ægre cerebrum in ipso cerebro invenisses. Cranium vacuæ cucurbitæ erat simillimum. Quamvis magna facta esset mutatio in cerebri fabrica ob aquæ copiam, nihilo tamen minus, quod præcipue erat mirandum, unio manebat tuberculorum secundi paris, & glandula inferior, quam pituitariam dicunt a plerisque Anatomicorum imbibendo cerebri

rebri

rebri sero destinata magnitudinem, colorem, ceteras notas, quibus distingui solet, integras, nullaque ex parte deformatas habebat: tantummodo supernatabat ipsi magna seri copia. Unde hæc aqua & qualis; quando circumjacentes partes cœperit dilatare; quare a latere potius, quam alibi suam vim exercuerit, acute sane & docte inquirit Steno: qua in inquisitione multa profert ad obscuram cerebri naturam & fabricam illustrandam utilissima. Hæc omnia exposuit Steno italica epistola, quam mense Junio an. MDCLXIX. Œnoponti dedit ad Ferdinandum Mediceum, ut ad hominem harum rerum non solum curiosum, sed etiam æstimatorem æquum & judicem. Libenter referrem alia observata a Stenone, ut Zoologiam augeret, quæ commemorata sunt a Redio, a Scriptoribus Actorum Academiæ Londinensis (18) aliisque plurimis, nisi ego nimis multa me jam retulisse vererer. Etenim in omni re videndum est quatenus: etsi enim suus cuique

modus est, tamen magis offendit nimium quam parum. Vereor etiam ne secutus exemplum videar Stenonis, qui interdum obscure & confuse loquitur. Perspicuitatem quidem semper amavi, neque me poenitet aliquando ei posthabuisse puriorem elegantiam latini sermonis, cum non dubitaverim uti verbis doctrinarum, de quibus necesse est loqui, propriis, quanquam minus latinis. Nam illarum finibus longius prolatis, multa etiam vocabula necesse fuit in censum recipi, & Latii quasi jure donari. Sed ad Stenonem revertor, qui cum, ut diximus supra, in Daniam rediisset, hortantibus amicis, ipsoque Cosmo III. qui Ferdinando Patri an. MDCLXX. Magnus Dux successerat, ut Etruriam reviseret, morem ipsis gerendum putavit. Hoc in tempore num aliquid scripserit ad naturæ scientiam illustrandam ignoro. Erat quidem sæpe cum Redio, nec otiosi poterant esse talium virorum congressus; habebatque commercium observationum naturalium cum Marcello Malpighio, cum

quo

quo antea Romæ non modo amicitiam, ſed & hoſpitium fecerat. Deſeruit iterum Etruriam Steno menſe Majo an. MDCLXXII. traditurus publice Anatomen regio in Theatro Hafnienſi, in quo præteritis temporibus eandem facultatem docuerant Simon Paulli, & Thomas Bartolinius. Extat in Volumine III. Actorum medicorum Hafnienſium *Procemium*, quo Steno munus ſuum ingreſſus eſt. In eo expoſuit quantæ utilitatis ſit Anatome ad præcavendos & curandos morbos, in quo ſi nimium arti ſuæ conceſſit, ut opinor, facile excuſabitur. Eſt enim hoc in hominis natura poſitum, ut quam quiſque novit artem, de ea præclaram opinionem & habere ipſe ſoleat, & ab aliis haberi velit. Oſtendit etiam quantum ipſa conducat ad naturæ Auctorem noſcendum admirandumque; neque illam horridam & mœſtam eſſe, ſed jucundam oblectantemque mirum in modum ſtudioſos illius. Extrema denique oratione; quæ nec elegantia, nec eloquentia, neque eruditione commendatur, pro-

ponit Steno rationem, quam tenere meditabatur in erudiendis iis, qui Theatrum frequentassent. Quanquam Steno propter multas ejus virtutes, singularemque doctrinam magno apud suos esset in pretio, non effugit tamen multorum invidiam. Interdum etiam ferre debuit accusatores acres & molestos, qui ei probro verterent, quod Lutheranorum castra deseruisset. Quapropter ut Catholicæ religionis officiis securius vacaret, tanquam in portum, in aulam Cosmi Medicei confugit, a quo ad instituendum filium suum Ferdinandum in morum disciplina liberaliter sane invitabatur. Ex hoc tempore vale dixit Steno naturalium disciplinarum studiis (19); & novum vitæ cursum ingressus est. Factus Sacerdos an. MDCLXXV. nil aliud agere & meditari videbatur, nisi ut in se ipso absolutionem & perfectionem omnium magnarum virtutum haberet. A qua quamvis non multum abesset, nondum tamen fundamenta, quæ cogitabat, jecisse sibi videbatur. Nemo enim illo ma-

gis

gis modeſtiam ſervavit, nemo magis ſubmiſſe in omni vitæ actione ſe geſſit. Graviſſimum teſtimonium Cardinalis Nerlii Archiepiſcopi Florentini de ſingulari Stenonis in Deum pietate, integritate, patientia, paupertatis amore, ſtudio devios in rectam viam reducendi, omneſque juvandi retulimus in II. volumen epiſtolarum clarorum virorum, de quo ſupra mentionem fecimus. Neque homini tot virtutibus prædito difficile eſse debebat ad omne officii munus inſtruere Principem, qui quidem ſummam ſpem Præceptoris & civium, quam de eo jam puero conceperant, continuo adoleſcens ſuperavit. Biennium præfuit huic muneri Steno, eoque expleto, obtulit Principi librum, in quo breviter comprehenſis graviſſimis ſententiis, quaſi oracula ſapientiæ ediderat ad bene beateque vivendum, remque publicam gubernandam. Qui igitur Ferdinando ex Stenone fructus debebantur, ille uberrimos præſtantiſſimoſque cepit; dolendumque maxime iis diuturnitatem tem-

poris defuiſſe. Per hæc tempora advectus Florentiam eſt Gaſpar Bartolinius diſcipulus Stenonis cum fratre & leviro Oligerio Jacobeo. Lacerabatur animus Stenonis cogitans homines cariſſimos in iis, quæ ad religionem ſalutemque pertinent, devios, errore delectari ſuo; nullique ſane pepercit induſtriæ, quo eorum mentes ad veritatem, atque ad officium revocaret. Quædam etiam ſcripſit opuſcula, quæ & iiſdem hominibus, & aliis quampluri mis magno uſui eſſe poſſent. In iis enim expoſuit rationes & vias, per quas ad amplectendam Catholicam religionem traductus fuit, & Hæreticorum dolos & machinas quaſdam detexit irriſitque. Id inique adeo nonnulli eorum tulerunt, ut Jenæ publice propugnaverint ediderintque *Diſſertationem*, ſicuti ipſi appellavere, *Theologicam*, qua omnia prolata a Stenone, mendaci ſane trutina, examinarunt, illa redargui & convinci poſſe ſperantes. Ut autem omnia conſilia & facta ſua ad virtutem atque ad aliorum bonum referebat

Ste-

Steno, ita minime Joanni Friderico Principi Brunopolitano, qui Catholicæ religioni nomen dederat, recusavit, ut in illius ditione Episcopi munus sustineret. Ipse Romanus Pontifex, ad cujus aures fama pervenerat de Stenonis sanctitate, eidem hortator atque auctor fuit magno animo ut onus susciperet; creavitque Titopolitanum Episcopum, posteaque Vicarium Apostolicum in omnibus Boreis regionibus declaravit. Provinciæ Magalopolitana & Hannoverana fuerunt principio quasi theatrum illius vere singularis studii in Catholicam religionem. Mortuo Friderico, solum mutare coactus, domicilium Monasterii fixit. Inde quoque non multo post discessit ob offensum ejusdem civitatis Episcopi animum, cui exprobraverat, videri illum omnia omnium concupiscere, quod non contentus Coloniensi, alteroque Episcopatu, tertium contra SS. Canonum decreta efflagitaret. Scriptum invenio nihil non egisse eo tempore Arnaldium, qui optime noverat singularia Stenonis

merita, ut Suffraganeus adſciſceretur ab Archiepiſcopo Auguſtæ Trevirorum: ſed contra obſiſtentibus Jeſuitis, qui Stenonis ſeveritatem verebantur, ipſe repulſam tulit. Itaque Steno aliquandiu manſit Hamburgi, ac demum Sverinum in veterem ſedem Ducum Megalopolitanorum venit. Vidiſſes hominem omnia libentiſſime incommoda ſubire vel externa, vel corporis, vel etiam ipſius animi, ut lucem ſalutemque, quacunque poſſet, afferret; contigitque ei, quod haud ſcio an nemini, ut vel pervicaciſſimos Hæreticorum, quos in rectam viam minime deducere potuit, in ſui amorem & admirationem plerumque traheret. Continuis laboribus ac corporis afflictationibus oblanguebant quotidie magis vires illius; ſed ferventius erat ſtudium in rem publicam Chriſtianam. Succubuit denique, ceſſitque languori, acerbiſſimisque doloribus, quos colum & calculus in veſica peperit. IV. die antequam moreretur (20) de rebus divinis ad populum verba facere voluit, & ſemianimis

ſcri-

ſcripſit ad Magnum Etruriæ Ducem, commendans ei tres præclaræ virtutis homines, quos ſecum habebat. Profecto omnia ſumma in Stenonem Coſmi merita conſtitere. Pecuniam ei ſuppeditabat, qua & ipſe aleretur, & alios etiam ſublevaret. Ejus commendatione & conſilio certum hominem Hamburgi habebat, qui ſua negotia procurabat; & ſumma omnium fere mandatorum erat, ut ad omnia, quæ Steno vellet, præſto eſſet. Hujus ſororis filium Jacobum Benignum Vinslaum ipſum quoque celeberrimum Anatomicum, qui Pariſiis opera Boſſuetii Lutheranis renuntiaverat, pecunia, quoad vixit, aliiſque rebus juvit. Cum an. MDCLXXXIV. mortem obiiſſet is, qui Liburni præerat Fcclesiæ principi, nihil non tentavit Coſmus, ut in illius locum Steno ſuccederet, rogans eum, ut valetudini indulgeret ſuæ, cui quidem, dum commodis animarum conſuleret, illum non ſatis ſervire ſciebat. Demum quem vivum haud potuerat, mortuum ſaltem recuperare voluit;

luit; ejuſque corpus Sverino, ubi vita deceſſerat, Florentiam adſportari juſſit, ſepelirique in Laurentiana Baſilica cum hac inſcriptione.

NICOLAI STENONIS
EPISCOPI TITOPOLITANI
VIRI DEO PLENI
QUIDQUID MORTALE FUIT HIC SITUM EST
DANIA GENUIT ETHERODOXUM
ETRURIA ORTODOXUM
ROMA
VIRTUTE PROBATUM SACRIS INFULIS INSIGNIVIT
SAXONIA INFERIOR
FORTEM EVANGELII ADSERTOREM AGNOVIT
DEMUM
DIUTURNIS PRO CHRISTO LABORIBUS
ÆRUMNISQUE CONFECTUM
SVERINUM DESIDERAVIT
ECCLESIA DEFLEVIT
FLORENTIA SIBI RESTITUI
SALTEM IN CINERIBUS VOLUIT
A. D. MDCLXXXVII.

(1) Vid.

(1) Vid. epist. Barthol. Cent. III. ep. 43. & Haller. in not. ad prælect. Acad. Boer. p. 106. edit. Taurinensis Tom. I.

(2) In not. ad Boerhaavium de visu p. 73. edit. Taurin.

(3) Adverf. Anat. I. & Adv. VI.

(4) *Ex arteriis solis mucum deducebat Schneiderus, glandulas Stenonius addidit, Haller Elem. Physf. lib. 14. Sect. 1. §. 14.*

(5) Non dissimilia tradidit Heisterus. Ait enim *in compend. Anat. p. 33. Venet. edit. Plerique Anatomici recentiores liquidum per hunc canalem ex naso in os influere sustinent, atque hanc ob caussam eum Stenonis transitum a naribus ad palatum vocant, qui etiam in capite osseo satis apertus & amplus apparet. Verum alias tam angustus, ut neque in vivo, neque in cadavere eum in os hiare, aut sectam transmittere unquam deprehendere potuerim.*

(6) Elem. Physf. lib. 2. sect. 3. §. 22.

(7) Compend. Anat. p. 67.

(8) *In fin. cap. 2. de Anat. in lib. de stud. medic.*

(9) Adverf. Anat. II. Animad. VIII.

(10) Phisiol. lib. IV. Sect. 3. §. 22.

(11) Catalogus Rar.

(12) Liceat hoc loco proferre Malpighii verba minime a proposito nostro aliena. Ait ille in principio vitæ, quam de se ipso scripsit. *Evolutis antiquorum monumentis excitataque lucis scintilla, latronis notam inurere tentant, quem docentem & magistrum mox audivere. Rerum inventores Urbium & Reipublicæ fundatoribus assimilantur. Hæ nemque suum venerantur auctorem, non qui sensim gentem propagavit, loci opportunitate aut forte coactus, sed qui datis legibus, distinctis ordinibus, mœniis vel septo circumvallavit, aut arce firmavit: ita in arti-*

bus

bus & scientiis inventor is dicendus est, qui naturæ arcanum per suas caussas patefecit, rationum & experimentorum cumulatis argumentis firmavit, & usum naturæ congruum dilucide exposuit. Hinc Harvæus sanguinis circulationis inventor asseritur, & Pacquetus thoracici ductus auctor vindicatur, aliaque consimilia exempla copiosa occurrunt, licet superiori sæculo bis prælusisse videantur. Cæterum quod ad me spectat cum amicissimo Stenone repetam: sic mihi gratulor me non ab illis monitum eadem, quæ illi, observavasse; nec me movet post alios me hæc vidisse, modo ab aliis eadem habuisse non accuser.

(13) De hoc invento videndum est opusculum Jo. Swammerdami, quod inscripsit *uteri mulieris fabrica*, quodque extat in Vol. 1. *Bibliothecæ anatomicæ Mangeti*. Addit etiam Mangetus *nobilissimum Stenonem paradoxum hoc stupenti orbi primum obtulisse, ovorumque, ut apud omnes est in confesso, in viviparis inventorem dici*. Digna etiam sunt quæ legantur tradita hac de re a Valisnerio in libro *della generazione dell' uomo part.* 2. *in princ. Tom.* 2. *pag.* 145. Sed præsertim invitandos esse lectores putamus ad ea legenda quæ de Stenonis invento, deque observationibus habitis a Valisnerio ad illud ipsum, si fieri potuisset, confirmandum exposuit Buffonius in Vol. II. *Histoir naturel*, ubi de animalium generatione agit.

(14) Hæc habet de Stenone liber, cui titulus *Journal des Scavantes an.* 1665. *n.* 12. *p.* 123. *Eruditus hic Danus immoratur Parisiis ubi quotidie exercet sectiones in plurimorum naturæ curiosorum præsentia, idque in schola fecit medicorum, ubi admirati sunt eum propter inventa sua nova: Habet enim id peculiare ut maximam rerum partem tam reddat sensibilem, ut qui-*

quivis victas dare manus, mirarique cogatur quomodo subterfugerint ea Anatomicos ante eum omnes.

(15) In not. ad Method. stud p. 521.

(16) Vid. Viviani epistolam ad Magolottum quæ extat in Vol. I. p. 18 epistolarum Magolotti, quas nos edidimus Florentiæ a. 1769 Ex ea inter cetera scimus stipendium annuum cccc. aureorum oblatum Stenoni a Danorum Rege fuisse, potestatemque factam Catholicam Religionem libere profitendi.

(17) pag. 641 edit. Hafniensis.

(18) V. Redi, *Esperienze intorno alla generazione degl' insetti* p. 75. e 129. & ejus epistolam ad ipsum Stenonem *Opere del Redi* Tom. V. p. 47. Vide etiam acta philosophica Societatis Regiæ Londiniensis an. 1666. & epistolam Magalotti ad Falconerium, quam nos edidimus in Vol. I. p. 172. *delle lettere famigliari del Magalotti*.

(19) Hinc illa quæ memoriæ tradidit Leibnitius in *miscellaneis Leibnit. Jochimi Frid. Felleri. Je ay apris que feu mr. Stenonis se dechargeant de la litterature prophane charga m. Oligerius Jacobeus medecin Danois de pousser & de poursuivre ses pensées sur la geographie naturelle, & les changemens physiques de la sourface de la terre.*

(20) Extat in Vol. II. epistolarum clarorum virorum epistola de morte Stenonis scripta ad Card. Pallavicinium a Cappellano Theodori Kerchringii, qui Hamburgi Magni Ducis Etruriæ negotia procurabat. Ex hujus autem litteris ad ipsum Magnum Ducem inter cetera scimus Stenonem, cum primum cœpit ægrotare, *petiisse ut Lubeca Sacerdos S. J. ad se veniret, qui illi Sacramenta administraret; sed se illum Patrem excusasse, ita ut deficiente Sacerdote sine Sacramentis obie-*

rit

rit 15. *Novembris hora* 7. *matutina* 1687 Narrat etiam Kerchringius increpanti Medico Stenonem, quod nimis corporis afflictationibus indulsisset, respondisse: *Si c' est la cause, je ne suis pas faché; car je suis persuadé que je l' ai fait dans l' intention de servir Dieu: il y a eu de persounes qui ont vecu plus austerement que moi au pain & a l' eau, & ont vecu long tems; pour quoi ne le ferai je pas, si ce fut ainsi la sainte volonté de Dieu que je devois vivre?*

OPERA EDITA.

DE GLANDULIS *oris, & novis inde prodeuntibus salivæ vasis observationes anatomicæ.*

DE GLANDULIS *oculorum, novisque eorundem vasis observationes anatomicæ.* Hæ observationes editæ Lugduni Batavorum separatim primum fuere. Postea conjunctim cum responsione quadam ad Deusingium ibidem impressæ fuere an. 1680. in 12. Extant etiam in Volumine II. *Bibliothecæ anatomicæ*, quam Daniel le Clèrc & Jacobus Mangetus contexuere, edideruntque Genevæ an. 1685. in fol.

DE MUSCULIS *observationum specimen*. Extat in eadem *Bibliotheca*; impressumque etiam fuit cum duabus epistolis *de Anatome Raiæ, & de Vitelli in intestina pulli transitu*: Hafniæ 1664.

DE CEREBRI *Anatome Dissertatio spectatiss. Viris DD. Societatis apud D Thevenot Parisiis collectæ dicata*. Extat in eadem *Bibliotheca*. Parisiis primum a. 1669. prodiit hæc Dissertatio Gallice scripta, & secundo Lugd. Bat. an. 1671. cum in Latinum conversa fuisset.

ELEMENTORUM *myologiæ specimen seu musculi descriptio Geometrica, cui accedunt canis carchariæ dissectum caput; & dissectus piscis ex canum genere. Florentiæ* 1667. in 4.

DE

DE SOLIDO intra solidum naturaliter contento Dissertationis prodromus. Florentiæ 1669. in 4.

DE VITULO hydrocephalo epistola ad S. Magnum Etruriæ Ducem Ferdinandum II. ex Italico in Latinum translata a D. Matthia Motthio. Extat in Vol. II. commemoratæ *Bibliothecæ Anatomicæ*.

OBSERVATIONES Anatomicæ spectantes ova viviparorum Extant in Vol. I. ejusdem *Bibliothecæ Anatomicæ*, eædemque legi etiam possunt in *Actis medicis & philosophicis Hafniensibus* editis a Thoma Bartholinio Hafniæ typis Georgii Godiani 1673. ib 4

Iisdem in Actis hæc etiam sunt, quæ pertinent ad Stenonem.

OVA viviparorum spectantes observationes aliæ.

IN OVO & pullo observationes.

OBSERVATIONES circa motum cordis auricularum & venæ cavæ.

HISTORIA musculorum Aquilæ.

EMBRYO monstro affinis Parisiis dissectus.

UTERUS leporis proprium fœtum exolventis.

DE VITULO.

PROEMIUM demonstrationum Anatomicarum.

DE PRIMA ductus salivalis exterioris inventione & Bilsianis experimentis. Extat apud Thomam Bartholinium in Centuria epistolarum ejusdem Epist. 24. Hafniæ 1667.

EPISTOLA Stenonis ad Croon, qua declarantur experimenta quædam habita Romæ de Salamandra. Extat in Actis philosophicis Societatis Regiæ Londinensis an. 1666.

EPISTOLA ad virum Eruditum cum quo in unitate S. Rom. Ecclesiæ æternam amicitiam inire desiderat de methodo convincendi Acatoli-

eum juxta Chrysostomi Homiliam 33. *Florentiæ ex typographia Nicolai Nacusii* 1675 in 4. Plures aureas Chrysostomi sententias hæreticorum malitia vitiatas suo reddit Auctor nitori.

EPISTOLA de Interprete S. Scripturæ: Florentiæ 1675. In hac epistola satis superque exagitatam quæstionem de Interprete S. Scripturæ tractat. Vander Waien Calvinianorum caussam defendenti respondet, atque SS. PP. dicta ab eo prolata in ipsum acute retorquet.

EPISTOLA ad novæ Philosophiæ Reformatorem de vera philosophia. Florentiæ 1675.

EPISTOLA de propria conversione. Florentiæ 1677.

ELUCIDATIO Epistolæ de propria conversione. Hannoveræ 1680.

SCRUTINIUM Reformatorum ostendens Reformatores morum fuisse a Deo, Reformatores autem fidei & doctrinæ non fuisse. Florentiæ 1677.

DEFENSIO Scrutinii Reformatorum. Hannoveræ 1679.

TRACTATUS de Purgatorio cum Discursu utrum Pontificii an Protestantes in Religionis negotio conscientiæ suæ rectius consulant. Hannov.

EPISTOLAE duæ ad J. Brusmannum. Hafniæ 1680.

ANTILOGIA contra M. Siricii ostensionem abominationum Papatus Idolatricarum. Rostochii 1687.

EPISTOLA Italica ad nobilissimam fœminam Arnolfiniam, in qua Steno exponit rationes, quibus convictus fuit ad amplectendam Catholicam Religionem Edidi hanc epistolam in Vol. II. *delle lettere d' uomini illustri Florentiæ* 1714, quo in volumine extant quoque binæ aliæ epistolæ Stenonis ad res physicas pertinentes.

OPERA INEDITA.

Experimenta naturalia ad Sacræ Scripturæ & Christi Divinam auctoritatem agnoscendam non parum conferentia pro illis, qui vel omnino non credunt, vel ex non credentium sermonibus gravia dubia experiuntur.

Experimenta & argumenta pro libertate voluntatis ex natura & Scriptura desumpta contra modernorum quorumdam necessitatem absolutam æternæ concatenationis caussarum secundarum.

Demonstratio falsæ Acatholicorum persuasionis de existentia divini in sacris litteris mandati omnes rationis usum habentes fideles ad calicem sumendum obligantis.

Extat *in Magliabechiana Bibliotheca* manu scriptum volumen cum hac inscriptione.

Nicolai Stenonis Episcopi Titopolitani Ferdinandi Magni Etruriæ Principis quondam magistri opera. Hæc sunt sermones de rebus divinis xxxxv. & opuscula XIII. ad varias res theologicas, præsertim morales, pertinentes. Claudit volumen epistola hortatoria Joannis Sterech S. J. ad Stenonem, qui ipsum monet, ne nimis corporis afflictationibus indulgeat.

Trattato di morale per un Principe.

ANGELUS FABRONIUS

MARCHIONI DE CONDORCETIO

PARISINÆ SCIENTIARUM ACADEMIÆ
A' COMMENTARIIS

S. P. D.

NON tu quidem es a me edocendus de iis, quæ Michael Angelus Riccius ad mathematicarum disciplinarum incrementum gessit: nam si non sus Minervam, ut ajunt, tamen inepte quisque Minervam docet. Est vero quod a te, vir humanissime & doctissime, mihi concedi pervelim, ut nimirum præfationis loco liceat hic referre sermonem quemdam, quem olim habuit Vincentius Vivianius cum amantissimo discipulo suo Laurentio Magalotto, cui si Riccius ipse interfuißet, non dubito quin idem, quod Themistocles dicturus fuisset, se ejus vocem libentissime audire, a quo sua virtus optime prædicaretur. Quando in geometricarum rerum me-

meditatione, ajebat ille, cœpi ſtudia ponere, fieri non poſſe rebar, ut quis longius procederet, quam quo pervenerat Archimedes illis ſuis libris de ſphæra & cylindro, de ſpiralibus, de conoidibus, & ſphæroidibus, de quadratura parabolæ, & ſimilibus. At, progredientibus ſtudiis, non ſine admiratione intellexi theoremata illa, quæ quondam reconditiſſima exiſtimaveram, facta eſſe corollaria aliorum ampliſſimorum theorematum, eaque facile demonſtrari poſſe ob novas repertas methodos, quæ in ſe ipſis continent quidquid ſeparatim Archimedes invenerat, non ſecus quam ex uno ramo pendere multa poma conſpicimus. Credibile tamen eſt Archimedem putaſſe ſe non mediocria geſſiſſe, nec potuiſſe alia via ad eandem laudem perveniri. Quid ſi temporibus Pappi Alexandrini vixiſſet, ipſumque vidiſſet plena manu ad ſe venientem cum iis vere maximis theorematis de generali ſuperficierum & ſolidorum menſura, quæ tantam poſtea Guldinio, ſeu Joanni Faillio gloriam comparavit? Sed fac Pappum in tempora incidiſſe Torricellii &

Cardinalis Riccii, nonne illum stupidum detenuissent theoremata, quæ mirabiliter ab iis summis viris inventa sunt, quæque in se continent non sua modo & Archimedea, sed infinita alia ab nemine ante hac excogitata? Atque idem ego, qui gloriari possum vel ingenio, vel fortuna novas amplissimasque terras detexisse, num propterea cæteris minime relictum esse locum arbitrabor ad majorem etiam gloriam adipiscendam? Magnus est in geometria campus; multis apertus cursus ad laudem; nec dubito quin talia posteri sint gesturi, quibus laurea illa magnis laboribus a nobis parta, longo intervallo omnem amisisse viriditatem videatur. Hæc Vivianius, qui si reviviseceret, gauderet profecto (non enim invidia, sed publicæ utilitatis amor unice summos viros tangit) factum esse præsertim ista tua adeo præstanti in analyticis rebus doctrina, ut vera se divinaße judicatum fuerit. Vale.

Pisis Kal. Decemb. MDCCLXXIV.

MI-

MICHAEL ANGELUS RICCIUS

Michael Angelus Riccius natus est Romæ III. Kal. Februarias an. MDCXVIIII. patre Prospero Riccio Novocomensi, matre Veronica Cavaleria Bergomate. Is admodum duro usus est initio adolescentiæ. Nam ejus pater fortunæ bonis minime abundabat, eaque partiri cum septem debebat filiis, unaque filia, quam Francisco Paravicinio locavit. Nihilo tamen minus sive felicitate quadam, sive bonitate naturæ, sive parentum disciplina rectam a pueritia morum institutionisque secutus est viam. In tanta malæ consuetudinis corruptela, ut perpauci tum essent tolerabiles Italici scriptores, eo pervenerat Riccius, ut Etrusci ipsi solerent ei suæ linguæ subtilitatem elegantiamque concedere. Sciebat etiam Græce & Latine satis luculenter: sed præsertim omnem vim ingenii, quæ summa erat in eo, in geometricis rebus consum-

psit. Habuit principem & ducem ad suscipiendam & ingrediendam horum studiorum rationem Evangelistam Torricellium; ac brevi fuit dignus, ut præceptor non solum cum eo dissereret, sed etiam illius judicia exquireret. Quotidie fere, ut ex eodem Riccio scimus (1) congregabantur ipse, Torricellius, Raphael Magiottus & Antonius Nardius: varii erant sermones, disputationesque; & si quando accidisset ut essent in disjunctione sententiæ, conjunctissimi tamen amicitia manebant. Discessus ex Urbe Torricellii non minuit, sed potius auxit hujusmodi exercitationes. Sæpe enim ab eo afferebantur quæstiones tum de physicis, tum de geometricis rebus; & quidquid novi in his ipsis facultatibus invenisset, libentissime cum iis communicabat, quibus nullos amiciores & cariores se habere, nullosque prudentiores se nosse dicebat (2). Sunt in manibus hominum (3) litteræ quibus Torricellius Riccium docuit de barometro a se invento, quibusque illa diluit quæ

fue-

fuerant ab eodem objecta. Non enim adscensum hydrargyri in tubo, superincumbenti prementique aeri unice tribuendum esse Riccius putabat. Dum per medias laudes quasi quadrigis veheretur vita Torricellii, acerba ac dolenda adhuc incurrit mors, quæ secum abstulit maximos illius laborum ac vigiliarum fructus. Cavit ille quidem supremis tabulis, ut scripta sua, in quibus multa erant imperfecta & inchoata, Bononiam mitterentur ad Bonaventuram Cavalerium, & hinc Romam ad Riccium, ut ab iis in vulgus, suppletis necessariis, ederentur. Sed Cavalerius non multo post Torricellium diem supremum obiit; Riccius autem aliis distractus curis magistri votis minime satisfecit. Ferdinandus hujus nominis II. Magnus Etruriæ Dux, cui non minus mathematici sui gloria, quam publica utilitas curæ erat, provinciam eam Vincentio Viviano commisit, qui tamen nescio qua de caussa rem infectam reliquit. Volens autem Riccius ostendere similitudine di-

vini ingenii in eadem se incurrere Torricellii vestigia, edidit Romæ an. MDCLXVI. *Exercitationem* quamdam *Geometricam*, quæ statim ac prodiit Geometrarum Anglorum animos incendit, ut nova ipsam editione sibi compararent. Quod tum operis præstantiæ, tum paucitati exemplarium, quæ primum fuerunt impressa, tribuendum est. Riccius itaque in ingressu operis lemmata quædam statuit, in quibus plura demonstrat, quæ pertinent ad magnitudines, ut Geometræ loquuntur, quemvis ad gradum elevatas. Hac ratione sibi viam aperit ad agendum eadem methodo de curvarum passionibus, quæ ad gradum quemvis similiter referuntur. Aliqua postea exponuntur ac geometrice demonstrantur theoremata, quorum denique scopus est ostendere: *Si recta qualibet linea quavis proportione dividatur, maximum esse productum partium elevatarum ad respectivos proportionis numeros inter omnia producta similia, quæ per quamlibet ejusdem rectæ sectionem efformari possunt.*

Exem-

Exempli autem gratia propositio hæc adhibetur ad determinandas tangentes infinitarum parabolarum (4), quod postremum exemplum normam suppeditat ad tangentes determinandas infinitarum ellipsium. His in disquisitionibus Riccius jam ab adolescentia fuerat exercitatus. Cum enim problema solvisset a Torricellio propositum de spatiis infinitarum spiralium, ita ab eodem appellatur in libello nondum edito de curvis iisdem: *rationes omnium spatiorum ad circulum demonstravit M. Angelus Ricci, qui infinitas quoque hyperbolas, ellipsesque contemplatus est, & non contemnenda theoremata inde derivavit*. Verum ipse nos cogit veritatis amor, ut hic testemur supra memoratum theorema, ejusque demonstrationem a Torricellio fuisse inventam, ut ex ejusdem scripto nondum edito apparet (5). Illud etiam nobis fatendum est, Torricellium ea propositione usum fuisse in demonstrandis tangentibus infinitarum parabolarum, nec non infinitarum hyperbolarum inter asym-

asymptotos, præter alias quasdam investigationes, tanto viro sane dignas, quarum rerum omnium sunt monumenta in ejusdem MSS. quæ Petri Leopoldi Austriaci Magni Etruriæ Ducis singulari beneficio non solum videre, sed diu etiam in manibus habere nobis contigit. At si Torricellius Riccio inventionis tempore anteivit, hic ipsum elegantia argumentorum, quæ demonstrationes dicuntur, certe superavit. Maximo vero usui fuisse Riccio commemoratum theorema multis in disquisitionibus, facile ex iis, quæ scripsit, quæque nos hoc loco referemus, apparebit. *Pergimus*, ait ille, *ad reliqua usum præstantissimum habentia ad inveniendas plurium linearum tangentes, figurarum centra gravitatis, & quadraturas, item ad alia multa, quæ justo servamus Operi, ubi dabimus novam conicorum solidorum seriem, qui secti exhibent infinitas, uti vocant, hyperbolas, infinitas parabolas, infinitas ellipses, & analogiam servando, circulos etiam infinitos. Unde lectoribus apparebit, me plus adin-*

adinveniße, quam cæteros; eosque ingeniosissimos viros, qui communem tantum hyperbolen, parabolen, ellipsim, & circulum (figuras conici in nostra nova serie prædicta secundi gradus) agnoverunt: alias tertii & quarti, & cæterorum non item; nisi quod de parabolis infinitis per puncta in plano descriptis, pauca licet cognitione dignissima, tradidere nonnulli, quos inter duo præcellentes ingenio viri Fermatius ac Torricellius præceptor meus, inventorum præstantia & numero commendabiles, ac veteribus proximi; qui novum insuper excogitarunt hyperbolarum infinitarum genus. Itaque si paucæ proprietates erant infinitarum parabolarum a Torricellio peculiariter declaratæ, quanto plura de iisdem Riccius in eodem opere commentatus fuisse dicendus est: Torricellius enim quadraturas ipsarum curvarum demonstraverat, nec non earumdem gravitatis centra atque tangentes, & qua ratione cylindri circumscripti ad conoides referantur, quæ scilicet ex gyro parabolarum circa diametrum, & circa cen-

centra gravitatis earumdem conoidum existunt. Solida præterea consideraverat prædictarum curvarum aut circa propriam basim, aut circa tangentem verticalem, aut circa lineam diametro parallelam revolutarum; idemque præstiterat in solidis trilinei mixti, quod tum a linea parabolica, tum a verticali ejusdem tangente, tum a recta diametro parallela concluditur. Immo de hoc invento, quod postremo loco memoravimus, & unum erat ex adjunctis, in Galliam scripserat Torricellius (6). Nos eodem cum Torricellio animadvertemus, primum ex omnibus, qui parabolarum infinitarum proprietates demonstraverit, fuisse Fermatium, eademque re claruisse postea Robervallium. Quod pertinet ad infinitas inter asymptotos hyperbolas, Torricellius ipsarum passiones præcipuas primus adinvenit, hoc est quadraturas, solida atque tangentes, ut ipse testificatus est. Sed tempus est, ut ad Riccium revertar, de quo Geometriæ studiosi jure queri possunt, quod publico

ca-

carere siverit, præter illud, de quo dictum est, opus, alia etiam ab ipso perfecta, quorumque mentionem fecit in epistola, qua Stephano Gradio *Exercitationem* suam *Geometricam* nuncupavit. In altero ex his operibus breviter artis analyticæ præcepta methodo geometrica demonstrabantur, simulque aliqua per auctores magni nominis errata notabantur. Altero in opere Riccius ad certas quasdam propositiones revocaverat *quæcumque de Geometria in genere disputata & litteris consignata* fuerant. Ex tribus, quas hic adjicimus, propositionibus, pronum erit conjectare quam egregia hoc opere continerentur, & quam acuti atque sublimis ingenii specimen Auctor exhibuerit. Itaque in generali una propositione, quam Torricellius & Gradius viderant, ac magnopere commendaverant, integra doctrina tradebatur xxx. propositionum Archimedis, Lucæ Valerii, atque aliorum; duabus autem propositionibus pene totum id concludebatur quod Io. Carolus Faillius de centro gravitatis

par-

partium tum circuli, tum ellipsis ostenderat. Vere videor posse contendere omnium mathematicorum, qui in Italia iis temporibus florebant, fuisse Riccium Algebræ peritissimum, in quam facultatem studiosissime operam dederat non tam propter admirabiles illius utilitates, quam propter gloriam Italorum. Hi enim a Gallis & Germanis reprehendebantur, quod ad antiquorum Geometriam, tanquam ad saxum, adhærescerent, cujus etsi laudabilior esset usus propter rei difficultatem perspicuitatemque, non satis tamen ad magna inventa accommodatam esse dicebant. Incidit aliquando Riccius in hujusmodi reprehensores, hosque ut erroris, aut arrogantiæ convinceret, proposita ab ipsis difficillima problemata solvere memoriter non dubitavit; quod prædicare non auderemus nisi certissimis esset monumentis testatum (7). Ii vero qui minus in his studiis profecerant, illum subaccusare videbantur (8), quod trita a majoribus via interdum declinaret, ut in

bre-

breviorem expeditioremque se daret. Hæc res certe illi plurimum valuit ad gloriam, quæ aucta singularis virtutis humanitatisque opinione efficiebat, ut certatim omnes illius amicitiam requirerent. Quid Leopoldus Mediceus Riccio non commisit? Quid immortalis ille vir gessit ad litterarum incrementum, quod cum ipso non communicaverit? Ipsa Academia *del Cimento* ab Riccii consiliis pendere videbatur; nec prius edita illius commentaria fuere, quam gravissimum ejusdem judicium subierint. Consultus etiam fuit de perficiendo Dictionario Academiæ *della Crusca*, cum esset in numero Academicorum; nec parum auxiliis & copiis suis opus illud juvit. Academia Pisana ipsa quoque plurimum debet Riccio, quod per eum fastis suis nomina doctissimorum virorum adscripserit. Nec minus illud gloriosum, quod raro controversiæ inter litteratos homines essent, quarum judex non sumeretur Riccius; ipseque Borellius quem discrepantia opinionum, seu potius fal-

falsæ suspiciones, difficillimique mores ab illo aliquando alienaverant, totam ad eumdem detulit disputationem, quam de rebus quibusdam in libro *de vi percussionis* expositis habuit cum Stephano de Angelis, & Michaele Manfredio (9). Crebro etiam commeabant ex Anglia & Gallia doctissimorum hominum litteræ ad Riccium; & principes illi creatores Academiarum Parisiensis & Londinensis maximarum rerum notitias ab illo exquirere non recusabant. Is vero coluit præsertim Thevenotium & Hugenium, a quo ab anno MDCLXI. invitatum fuisse ad societatem quasi quamdam, & communicationem studiorum scriptum invenio. Ex quo cognosci potest cito, ac longe lateque famam de illius doctrina percrebuisse. Neque vero hæc præstantia doctrinæ solis philosophiæ & matheseos finibus continebatur. Etenim ut moris majorum summus imitator, ita omnis antiquitatis doctus & intelligens fuit, adeoque callebat jura, consuetudines, & disciplinam

Ec-

Ecclesiæ, ut de his rebus, si quando controversia Romæ oriretur, nunquam non ejus exquireretur sententia. Extant adhuc in tabulario Vaticano, sicuti me admonuit vir amicissimus, qui ei præest, Cajetanus Marinius, plura Riccii iisdem de rebus scripta (10), quæ satis indicant ipsius prudens ac sincerum judicium, & interiores litteras. His vero vel peritissimos in loquendo verecundiores fecisse arbitror, cum sæpe Cardinalis Bona professus fuerit in iis, quæ consulebantur, nihil se habere quod adderet sententiæ Riccii, & in eam se libentissime iturum. Factus ab Alex. VII. P. M. Qualificator, ut appellant, ac paullo post Consultor. S. Officii non ad suam gloriam, sed ad Christianæ Reipublicæ utilitatem unice se spectare dicebat, quo fidentiori animo graderetur ad mortem. Multis quoque in rebus, iisque magni momenti a Clemente IX. & ab eo, qui illi successit, adhibitus fuit ob edita omnibus præstabilis insignisque virtutis exempla. Qualis mens erat in eo ad rempu-

blicam bene gerendam, quale ingenium ad bene dicendum! Inter cætera, quæ Clemens gravissimo judicio Pontifex se velle ei significavit, fuit ut per ipsum institueretur Academia, in qua sacræ antiquitatis studia in primis colerentur. Id autem ne perficeret Riccius caussa fuit ejusdem Pontificis cita acerbissimaque mors; perfectumque paullo post a Ioanne Ciampinio fuisse non modo gavisus est, sed etiam quantum potuit ejus industriæ & gloriæ favit. Num Ciampinii, sicuti Francisci Nazzarii, fautor quoque & adjutor fuerit Riccius, in conscribendis Litteratorum ephemeridibus, quod opus ipsius consilio anno MDCLXVIII. primum susceptum est, ignoro. Nemo profecto ad opem illius confugiebat, quin voti compos fieret, cum hoc unum sibi proposuisse diceret legendo, commentando & scribendo, ut aliis prodesset. Optassent multi ut intermissa mathematicarum rerum studia renovaret; sed ipse ad sacras litteras toto, ut ajunt, pectore in-

cum-

cumbendum putavit exemplo maxime excitatus Leopoldi Cardinalis Medicei, & quod hujusmodi studia se debere existimavit religioni seditiosorum quorumdam hominum perfidia ubique fere perturbatæ, & Romanorum Pontificum, quorum caussam sæpe egit, voluntati. Cum vacabat occupationibus Urbis veniebat in Tusculanum, ut ibi delectaret otiolum suum, & valetudini consuleret. Erat enim in eo summa gracilitas & infirmitas corporis, quam ob vehementissimas animi in studiis contentiones se contraxisse minime dubitabat. His tamen aliquando gratiam habuit, quod per eas ex maximis angustiis liberare se posse putavit. Innocentius XI. non solum precibus Christinæ Svecorum Reginæ, sed etiam sua sponte suoque judicio excitatus (neminem enim se nosse dicebat quem Riccio morum innocentia, prudentia, atque doctrina præferret, quod datis ei multis gravissimisque mandatis satis declaraverat) deliberavit illum in Cardinalium collegium cooptare. Id ut au-

divit Riccius non tam pertimuit, si subeundum esset, quam declinandum putavit, si honeste vitare potuisset. Denegat itaque, & jurat morbum, minaturque malum Lucæ Antonio Porzio, quo medico utebatur, nisi rem testimonio suo confirmasset. Interrogatur quidem Porzius; sed ea quæ respondit fuerunt hujusmodi, ut minime Pontificem de sententia deduxerint, sed potius in ea confirmaverint. Resciens id Riccius queritur graviter cum Porzio, & immoderate agitatus & fluctuans se se in Tusculanum recepit; unde ad Pontificem epistolam scripsit plenam argumentorum, quibus fieri posse sperabat, ut ipse voluntatem mutaret. Hæc epistola non ad optatum impetrandum, sed ad modestiam scriptoris probandam unice valuit. Itaque Riccius Kal. Septemb. an. MDCLXXXI. declaratus est Cardinalis. Non ille tamen idcirco adquievit, renuncians amplissimam dignitatem; nec prius a contentione discessit, quam Pontificis imperio parere jussus est (11). Ho-

mo

mo conſtans & gravis, qui vere gloriari poterat ſe ſemper a gloria abfuiſſe; qui nunquam non irriſerat urbanas illas ambitiones, levitateſque; cui nihil fuerat dulcius otio litterato; cuique ſemper placuerat quieta vitæ degendæ ratio in contemplatione & cognitione poſita rerum, ab hac diſtrahi non doluit modo, ſed etiam ingemuit (12). Is uſque eo vitæ ſtatum commutatum ferre non potuit, ut qui ſemper fuerat natura leniſſimus ac patientiſſimus ſibi gravis eſſe videretur; & qui dicere conſueverat omnium rerum, quas ad beate vivendum Divina providentia comparaverit, nihil eſſe majus amicitia, nihil uberius, nihil jucundius, neque vero hoc oratione ſolum, ſed multo magis vita, & factis & moribus comprobaverat, difficilis & moroſus adeo evaſit, ut nulli ei ſatisfacerent (13). Ex quo intelligi poteſt quam odioſa ſit omnis offenſio in fragili corpore. Nihilo tamen ſecius dedit Riccius magnarum virtutum exempla, ſed præcipue ſingularis & admirandæ fruga-

litatis (14). Obiit vir sanctissimus IV. Id. Majas an. MDCLXXXII. paucis scilicet post mensibus quam Cardinalis factus fuerat, sepultusque in Æde S. Francisci ad Tyberis ripam cum hoc elogio.

D. O. M.
MICHAELI ANGELO RICCIO ROMANO
TIT. S. MARIÆ IN AQUIRO
S. R. E. DIAC. CARDINALI
QUI EXCELLENTI DOCTRINA AC ERUDITIONE
APUD EXTERAS ETIAM GENTES
MAXIMAM FAMAM ADEPTUS
MORUM INNOCENTIA
AC SUAVITATE MODESTIA
IN GRAVIORIBUS NEGOCIIS GERENDIS
PRUDENTIA
ANIMI MODERATIONE
ATQUE RERUM HUMANARUM CONTEMPTU
SUMMORUM PONTIFICUM AMOREM
AC EGREGIAM APUD OMNES OPINIONEM
SIBI COMPARAVIT.
OB. AN. DOM. MDCLXXXII. ÆT. SUÆ LXIV.

(1) Vol.

(1) Vol. II. epistol. Clar. Vir. epist. LXVI.

(2) Ludovicus Serenajus testamenti, quod fecit Torricellius, curator, hæc in epistola quadam ad Vivianium de Riccio scripsit. *Elesse il Signor Ricci* (ad supplenda scilicet mathematica scripta quæ imperfecta reliquerat) *stimandolo il maggiore ingegno da lui conosciuto nelle matematiche, e da lui in esse introdotto, e il maggior amico che avesse.*

(3) *Prefaz. alle lezioni Accademiche del Torricelli.*

(4) Ea deductio Ismaeli Bullialdo displicuit, qui cum rogatus fuisset sententiam suam exponere de Riccii *Geometrica exercitatione*, multa objecit, quæ retulimus in II. volumen epistolarum clar. vir. Argumentis Bullialdi respondit Riccius in epistola ad Leopoldum Mediceum, et ambo Censori parcendum esse censuerunt aliis nominibus de mathematicis disciplinis optime merito. Nemo est hodie qui ignoret quam recta sit atque accurata deductio illa ad infinitas parabolas: quamobrem opus non est, ut ad auctoritatem Borellii, Vivianii, Slusii, aliorumque illustrium mathematicorum, qui maxime illam commendarunt, confugiamus.

(5) Huic titulus est: *Racconto di alcune proposizioni proposte e passate scambievolmente tra i mattematici di Francia e me dall' anno 1644. in quà.* Eo autem in loco hæc habet Torricellius: *Questo gran teorema da me si dimostra per pura Geometria e senz' Algebra. Fu da me proposto un pezzo fa, nè per ancora ne hò avuta la dimostrazione universale, la quale stà riservata presso di me. E' ben vero che agli amici di Roma mandai già (pregato da uno di essi) la dimostrazione di tal teorema per quando gli esponenti delle dignità sieno in proporzione moltiplice solamente.*

(6) *Queste cose dell' Iperbole sono state da me proposte in Francia ed in Italia, ma per ancora non sciolte da nessuno per quanto io sappia. Se la quadratura di una sola Iperbola è stata cercata tanto e sempre in vano, noi per una ne diamo infinite.* Hæc Torricelius in supra memorata narratione seu *Racconto d' alcune proposizioni &c.*

(7) V. epist. XLV. Vol. II. epist. clar. vir.

(8) Hæc Stephanus de Angelis in epist. ad Leopoldum Mediceum. *Il Signor Michel Angelo Ricci è stato da me conosciuto in Roma. Sino da quel tempo ho aspettato da esso ogni cosa: degno Scolare del Torricelli, quale se non imita nella chiarezza, impareggiabile proprietà del Maestro, ciò è colpa della materia, e del modo con cui la tratta. L' algebra quanto è strada sicurissima da portarsi ad ogni scibile, così non pare instilli quella via facile e piana, che vediamo nel Torricelli, che ritrovava conclusioni ammirabili con la strada resolutiva degli antichi. Il Signor Ricci però, quando non stampasse altro, vivrà sempre nella memoria degli uomini per questa sola operetta.*

(9) V. Borellii vitam pag. 356. & 357. Communia studia brevi reconciliarunt Borellium cum Riccio, & firmam perpetuamque inter eos postea fuisse amicitiam satis ea declarant, quæ Carolus Io. a Iesu scripsit in vita Borellii, ubi hæc ait: *Sacramenta frequenter suscipiebat P. Magistro Iacobo Riccio e Dominicana familia, sacræque Indicis Congregationis Secretario a confessionibus adhibito, quem una cum ejus germano fratre Michaele Angelo Sacræ Indulgentiarum & Reliquiarum Congregationis pariter Secretario, ut bina hujus sæculi, nedum Urbis luminaria unice & quoad scientias, & quoad mores suspiciebat.*

(10) Non

(10) Non erit ab re nominatim proferre nonnulla hujusmodi scripta. *Scrittura sopra il Rituale del Vescovo di Aleth*. Vehementer Riccius approbat illorum consilium, qui librum illum damnandum, minime vero comburendum putabant; & ad mitigandam severitatem animadversionis censuit, ut is in indicem librorum damnatorum referretur cum clausula *donec corrigatur*. *Censura della parte estiva del nuovo Breviario pubblicato dall' Arcivescovo di Parigi*. *Voto circa le 96. proposizioni attribuite a' Lovaniensi, e mandate al Papa dal Re di Spagna alli 24. Aprile 1681*. *Varie scritture sopra la causa de' Lovaniensi trattata negli anni 1677. 78. e 79.* Quae dixit & scripsit Riccius in hac caussa talia fuerunt, (semper enim ordo, constantia & moderatio in omnibus ejus dictis & factis apparebat) ut vel ipsi Lovanienses fateri non dubitaverint: *egregiam & caussa & sibi operam navasse*. *Minuta per il Papa a' detti Lovaniensi*. *Minute di lettere per il Papa in risposta ad alcune lettere del Vescovo di Angers intorno alla dottrina della grazia*. Erat Riccius perfectus theologus, & in iis, quæ ad divinam gratiam pertinebant, numquam ab Augustino discessit. Dolebat rem perniciosissimam in Ecclesiam induxisse homines novitatis amantes, seditionem atque discordiam. *Voto circa la frequente comunione*: nihil absurdum & alienum a Doctrina Ecclesiæ esse putabat Riccius in hoc libro Arnaldi. *Riflessioni sopra le istruzioni di S. Carlo per i Confessori tradotte dai Lovaniensi*. *Emendazioni a' voti sopra la Canonizzazione di S. Tommaso da Villanova*. *Minuta per il Papa in risposta al Vescovo di S. Ponzio circa la condanna del Rituale per la Diocesi d' Aleth, il Formolario d' Alessandro VII. e simili materie delle quali si disputava in Francia*. Hæc scripta sunt an. 1678.

1678. *Giudizio sopra il Catechismo del Vescovo d' Angers*. Iudicium suum exposuit Riccius in epistola ad Favoritum hominem sibi officiis, usu, consuetudine conjunctissimum. Is erat Innocen. XI. ab epistolis arcanis notis conscriptis; cumque nulla fere res alicujus momenti fieret a Pontifice sine eo, raro sententiam suam Favoritus exponebat, quin prius Riccii consilium exquireret. *Pruove sulla celebrazione della Pasqua dell' an.* 1666. Quæ fuerit hac de re Riccii sententia cognosci etiam potest ex epist. 51. Vol. II. epistolarum clarorum virorum. Implicatus fuit molesto operosoque negotio *de Regalia*, scriptumque inveni aliquando displicuisse Pontifici, quod illi favisse visus fuerit. Sed hæc satis superque. Non puto enim minima quæque, de quibus Riccius consultus respondit, esse commemoranda.

(11) Hæc Riccius ipse in epistola quadam. *Poichè ebbi umilmente supplicato N. S. in voce ed in scritto, che si degnasse per degni rispetti alla S. S. da me rappresentati, stando a' suoi santissimi piedi, sciogliermi da ogni legame, che avessi alla dignità del Cardinalato, piacque a S. S. di non esaudire le mie suppliche, ma per la festa di S. Teresa, giorno che sarà per me sempre memorabile, con reiterato comandamento mi obbligò a sottomettere le spalle alla carica del Cardinalato, gravissima per se medesima e molto più a paragone del mio poco merito, e natural debolezza di forze, e contraria oltremodo al tenor del viver mio sempre ritirato in vita quieta e privata, ove m' aveva chiamato il Signore*. Extat in tabulario Vaticano longissima epistola Io. Ciampinii ad Niccolinium, qui tum Avenionensem Provinciam administrabat, in qua de Riccio omnia ea narrantur, quæ accidere a kal. Sept. ad Id. Novembris,

bris, quo die ipse Cardinalatus insignia accepit. Eadem in epistola sententiæ quoque exponuntur plurium Theologorum; qui tum editis scriptis disputavere, num Pontifex possit aliquem cogere ad Cardinalatus onus suscipiendum.

(12) Quanto angeretur animi dolore Riccius, illa satis declarant, quæ ex Tusculano XI. kal Novemb. ad Favoritum suum scripsit. *Io mi vedo* (ait ille) *nel lago de' Leoni, onde non spero uscita, e vado pregando e supplicando il Signore che mi protegga*; adjutor in tribulationibus quæ invenerunt me nimis, *acciocchè finalmente poss' io dire col S. Daniele*, non nocuerunt mihi, quia coram eo justitia inventa est in me, *e passare allegramente, quando a Dio piacerà, in luogo migliore*.

(13) Vid. Lucæ Antonii Porzii vitam §. XXXIX. ubi etiam narratur Riccium obiisse fere repentino: cumque huic infortunio caussam dedisse existimasset Porzius sanguinis missionem, inde fortasse occasionem sumpsit conficiendi librum, quem inscripsit: *Erasistratus, sive de sanguinis missione*.

(14) Quamvis tota vita Riccii dederit grave & firmum testimonium ejus frugalitatis & abstinentiae, lubet tamen hic unam rem exempli caussa ponere. *Diedi ordine in Roma*, scribebat ille e Tusculano ad Favoritum, *che la casa l' accommodassero in una forma conveniente alla maniera di vivere da me praticata per anni 63. ed alla professione fatta sempre di non voler pompe, onori, e dignità, ed ultimamente al rifiuto riverente del Cardinalato, e diedi in nota il modo. Si turberiano molti uomini savj e da bene, e gli Ecclesiastici Oltramontani, se non vedessero le conseguenze dell' animo repugnante al grado cardinalizio, cioè l' esser alieno da quelle pompe e ricchezze d' apparati, che non sono essenziali alle cerimonie e riti*

eccle-

ecclesiastici. Oggi replico l' istesso; e siccome il Cardinal Bona senza stanze parate di seta, fu stimato, nè si disse, che avvilisse la dignità cardinalizia, così diranno di me gli uomini savj.... Alziamo gli occhi al Signore e regoliamoci con le sue divine ordinazioni manifestateci o ne' sacri canoni, o nella pratica degli uomini Santi, e vedremo tutto aver lieto fine, e ridiamoci delle vanità e rispetti mondani. Quod vero Riccius uteretur familia, si utilitate judicandum est, optima, si numero & forma vix mediocri, hanc afferebat excusationem *di non volere eccedere in spese per riserbare a' poveri il loro patrimonio.*

OPERA EDITA

MICHAELIS ANGELI RICCII Geometrica exercitatio. Romæ apud Nicolaum Angelum Tinasium 1666. Edita etiam fuit cum *Logarithmo-Techbnia Nicolai Mercatoris Londini typis Guilielmi Godbid anno* 1668.

LETTERE VARIE. Selectas Riccii epistolas numero LVIII. nos edidimus in Vol. II. *delle Lettere inedite d' uomini illustri*. Aliæ alibi extant, sicuti in præfatione *alle Lezioni Accademiche del Torricelli*; & in libro cui titulus. *Saggio di Storia Letteraria Fiorentina del Secolo XVII. scritta in varie Lettere da Giovambatista Clemente Nelli*.

JACOBI STELLINII VITA

AD

SCHATLOUXIUM



Acobus Stellinius, homo abundanti doctrina & incredibili varietate rerum & copia, natus est in Foro Julii V. Kal. Majas an. MDCXCIX. Mathia, & Andriana honestis quidem parentibus. E Somaschorum, sicuti vocant, scholis, quas in patria frequentavit, talis evasit, ut cum annum agens XVIII. in eorum societatem cooptatus fuisset, omnes jam tum confiderent, magno illum fore ornamento & ipsi societati, & patriæ. Itaque nullum fuit subsidii genus ad sapientiam adipiscendam, quod eidem minime suppeditaverint. Adolescens egregia quadam exercitatione in dialecticis, physicis, metaphysicis, geometricis, & theologicis rebus, & multarum linguarum peritus,

sed

ſed præſertim Græcæ, Latinæ, & Hebraicæ, juſſus eſt Rhetoricam docere in Academia, ut appellabant, Nobilium, quæ per ea tempora Venetiis fuerat inſtituta. Id munus non ultra triennium ſuſtinuit; quod Joannes Emus S. Marci Procurator ampliſſimus, acerrimuſque ingeniorum æſtimator, in quo uno Ulyſſis prudentiam & Neſtoris facundiam conjunctam eſſe dixiſſes, eumdem apud ſe habere voluit filiorum ſuorum præceptorem atque educatorem. Habuit etiam vitæ ſocium, & omnium fere conſiliorum ſuorum participem, cum non minus prudentiam, fidelitatem, & modeſtiam in ipſo ſuſpiceret, quam doctrinam. Trium, quos hic ſuſcepit, liberorum natu major nomine Petrus, florenti in ætate magnaque in expectatione deceſſit. Superſunt Aloyſius & Angelus; cumque ille politica, hic nautica ſcientia, uterque eloquentia, omnique illuſtri laude ſint celebratiſſimi, non tam grata declaratione quam glorioſis factis fidem faciunt, ſe omnia adjumenta a

Stel-

Stellinio ad virtutem accepisse. Ab eo tempore in oculis clarissimæ urbis posita fuisse videntur singularia Stellinii merita; quare facile Emus obtinuit, ut is in locum Jacobi Giacometti, qui Ethicen docuerat in Gymnasio Patavino, succederet. Ingressus est munus an. MDCCXXXIX. doctissima oratione, quæ si minutorum opusculorum fabricatoribus minus arrisit, in admirationem certe traxit veræ solidæque sapientiæ amatores cognitoresque. In ea oratione primo quidem eos oppugnat, qui naturalia, quæ dicuntur, omnia præcepta subvertunt, quasi nihil natura sanctum esset, nihil honestum, nullaque regula ostenderetur, ad quam homines vitam, moresque suos conformare possent. Argumentis autem ipsorum confutatis, ostendit ipse leges quasdam esse debere nulli mutationi obnoxias, & ab ipsa natura præscriptas, quibus constringantur homines, atque regantur. Principia & fundamenta honestatis in altera parte orationis indagaturus hæc ait: *Cum*

mun-

mundi fabrica, siderumque pulchritudo & concentus ex dissimilibus motibus ultro incurrat in oculos, ac rerum tantarum magnificentia ex omni tempore solertissimos homines excitarit ad eas caussas investigandas, ex quibus in summa varietate compositio tam admirabilis, & constans ordo duceretur; ex legibus iis, quibus universum hoc aspectabile regitur, compertissimis, eas item intelligi leges ac derivari præcipue posse apteque censeo, quas & mundus rationalis esse fateatur sibi præscriptas, ac detrectare ducat nefarium, si de naturæ opifice, atque gubernatore Deo pro dignitate sentiat; quidque æternam ac summam rationem illam, cujus est ipse particeps, unum deceat, animadverterit. Iis autem in legibus enucleandis & perspicax præsefert ingenium, & acre judicium, & philosophiæ scientiam omnino singularem; tum, quod difficillimum his in rebus fortasse fuerat, cum nova loqui videatur, nihil affert a veritate abhorrens, & a doctorum hominum intelligentia disjunctum. Secutus est eam orationem

nem libellus *de ortu & progressu morum*, ex quo facile intelligas quanta huic viro humani animi, rerumque ad animum ipsum pertinentium cognitio fuerit. Capite autem primo explicat, *quo ordine facultates hominum evolutæ sint, ex iisque cognatæ cupiditates effusæ*. Sentit enim rerum humanarum conversiones illi præsertim animi facultati adscribendas esse, quæ cum esset expedita, quam maxime rerum potita est. *A rudi victu*, inquit, *ac duro, quo robur alitur, ad eam vitæ rationem gentes adductæ sunt, in qua ferocitas & versutia confligunt inter se, resque vi peraguntur, & insidiis impotenti furore communitis. A ferino statu hoc rerum, quo dominatus occupari solent, ad eum porro devehuntur, qui fortitudine nititur & prudentia, rebusque partis tuendis, ac turbulentis ordinandis accommodatus est. Hanc deinceps excipit optima civitatis constitutio ea, quæ justitia regitur, ac devincta continetur legibus; & cum otio abundet, atque opportunitates maximas habeat ad opes augendas, excolendasque*

que artes, eapropter ad omnes vitæ commomoditates atque jucunditates percipiendas in primis idonea est. Otio vero confirmato, fortunis auctis, ac deliciis multiplicatis, cupiditas exaggerata laxare legum fræna nititur; ac justi, & æqui munimenta omnia concutit adeo, propellitque, ut æstuantem cupiditatem ea continere minime possint. His uberius explicatis late persequitur, quomodo a diversis hominum ingeniis diversa vitia, & virtutum species existant. Eos autem vitiosos mores fuisse rationi contrarios, & eamdem oppressam tenuisse docet, cum non omnibus tamen illi probarentur. Legumlatores quidem intacta quamplurima, quæ minime probabant, reliquisse dicit, quod aut removere non possent, aut alia simili de caussa permittenda, sive toleranda judicarent. Itaque principia morum neque a cupiditatibus inter se decertantibus, neque a consuetudine, quæ mutatur in dies, neque a legibus etiam sapientissimorum hominum, quæ temporibus & insitæ populorum infirmitati a-

ptan-

ptantur, neque a temeritate caſuum incertorum, ut videlicet tempori ſerviatur, & iis, quibuſcum agitur vita, repeti poſſe demonſtrat. Ad extremum multo minus ex eo, quod opportunum vel intempeſtivum ſit, totius elici dicit fontem honeſtatis. Ex iis efficit quidpiam nulli mutationi obnoxium, & omnino ſimplex eſſe oportere, cujus ad ſimilitudinem mens conſilia, & mores dirigat. *Quapropter*, inquit, *etſi res, quæ materia conſtant, omnes fluxæ ſint; & homo ipſe, qua parte corpus eſt, mutationi tempore omni ſubjaceat, ... ratio tamen, qua differt a rebus aliis, conſtans eſt, ac vitæ leges, quæ manant ex ea, perpetuæ ſunt, & unius modi ſemper, ac ſui ſimiles*. Capite hujus libelli altero totus eſt in inquirendo, *qua ratione, & via de rebus ad vitam pertinentibus opiniones exortæ ſint*. Explicat autem, quomodo judicia, quæ de rebus feruntur, ex affectione animi cujuſque profluant, & affectionibus roborentur conſpirantibus aliorum, quos inter eſt quiſque ſitus. Caput autem

 er-

errorum esse dicit, quod plerique consensione quadam incredibili partem sui potiorem eam esse putant, quæ sensuum est instrumentum, ut pote cujus evolutio prior, & usus in vita frequentior est, & hinc ea vehementius omnes afficimur: at contra pars ea, quæ intelligentiæ, & rationis particeps est, cum variis iis imaginibus prope confunditur, quas olim fluere a corporibus Epicurus existimavit. Hinc fieri docet, ut homines expetendum sibi constituant, ut, objecto impedimento nullo, voluptati obsequi possint. Hinc fieri, ut sensuum appetatur integritas, & affluens copia rerum, quæ sensibus optime inserviant, & potestas perfruendi rebus ipsis arbitrio cujusque suo. Explicat etiam quomodo vehemens in nobis enascatur libertatis amor, qui aliis postea voluptatibus, ipsisque divitiis antefertur; tum quomodo amori libertatis appetitio dominatus conjuncta sit, & quomodo hinc vires corporis in pretio haberi cœperint, at multo magis prudentia, sive in agendo calliditas, ex qui-

quibus omnibus desiderium extiterit multos habendi asseclas, atque hinc desiderium laudis, honoris, ac dignitatis. Ex iis rebus quaenam aliae enascantur aperit, & cur, & quomodo antiqua & remota pluris, quam nostra, fiant ostendit; ex quo pretium nobilitatis docet existere. Eodem capite qua ratione nobilitas, ut pluris fiat, illustrari divitiis, aut eloquentia, aut virtute, & consilio debeat, ipse aperit; & cur plus in animis multitudinis eloquentia, quam germana sapientia possit. Vulgus tamen hominum admiratione sapientiae percelli dicit eadem ratione, qua res difficiles atque reconditas mirari consuevimus, etsi praemiis eamdem haud soleat afficere. Philosophos quidem ridet, qui, ut admirabiliores apparerent, vanas opiniones excogitarunt, & cum ea de caussa vulgo spernerentur, ipsa immortalitatis spe jacturam nominis compensabant. Descriptio in extremo est satis elegans cupiditatum, quibus homines pro diversis ingeniis, ac vitae rationibus afficiuntur. Ca-

put tertium explicat, qua ratione tradita, & quibus ex fontibus hausta sint præcepta de vita, & moribus. Ostendit initio ea præcepta primum fuisse rudia, deinde concinniora, & robustiora, denique variis modis a nimia ingeniorum subtilitate corrupta. Probat autem primum præcepta proponendi modum per exempla fuisse; alterum ab animalium similitudine fuisse ductum; denique ex animantibus ad alias naturæ partes progressionem fuisse factam, ac leges obvias, quibus hæ reguntur, ad cohibendas hominum cupiditates fuisse translatas. Originem quoque illarum præcipiendi rationum, quæ parœmiæ dicuntur, ac translationes a specie ad speciem vocari solent, quæ in ænigmata evaserint multitudini propter obscuritatem incommoda, ob oculos ponit, nec non originem apologorum; quæ duo poetarum ipsis documentis anteponit; & originem simul, atque utilitatem allegoriarum, quæ nimis etiam obscuræ progressu temporis factæ fuerint, cum vulgus in ipso verborum cortice hæ-

hæreret, neque ad rem ipſam, quæ ſignificabatur, uſque procederet. Hinc levitate, & inſcitia multitudinis audaciores facti nonnulli, qui ſapientiæ laudem affectarent, ut ipſe ſcribit, quidquid erat in vulgus proferendum conveſtitum id exhibebant imagine aliqua ſenſibus objicienda. Philoſophis vero utiliſſima fuere, & opportuniſſima integumenta hæc ad ea omnia ornanda, quæ ſibi de rerum univerſa natura finxerant. Opportunus hic eſt exponendi locus opiniones Philoſophorum de natura rerum, ac de ipſa Divinitate. Itaque ubi de converſionibus aliarum rerum in alias ope, ut plerique ſentiebant, Divinitatis effectis, ac de Pythagoræ metempſychoſi locutus eſt, hinc Poetarum metamorphoſes ſumptas fuiſſe ſcribit, quæ tamen cum eſſent temere confictæ, ne apud ipſam quidem multitudinem mereri fidem aliquam potuerunt. Unde ortum habuerint brevia & acuta dicta ſapientum Auctor inquirit, ac dictorum eorumdem quanta ſit utilitas ob oculos ponit. Socratem

philosophiæ, quam Cicero moralem dixit, quasi parentem mirificis laudibus effert ad cœlum, & illud Themistii probat de ipso gravissime pronuntiatum: *Philosophiam sparsim habitantem ab eo contractam in unum fuisse, quemadmodum Athenas a Theseo*. Hoc loco Sophistarum vanitatem a Socrate reprehensam fuse persequitur, & eorumdem inscitiam graphicis coloribus pingit: Aristophanem quoque confutat, qui Socratem accusavit, quasi ea revocaret in dubium, quæ certissima sunt, ac vera esse permagni nostra refert. Philosophorum, qui post Socratem extitere, sectas egregie describit, Cynicam videlicet, Cyrenaicam, Epicuream, Peripateticam, Platonicam, Stoicam, Scepticam, Acatalepticam, a quibus Ethicen fuisse corruptam, ac deformatam potius, quam auctam, vel illustratam arbitratur. Scribendi rationem a Platone adhibitam exhibet, quem simul facultates duas conjunxisse dicit, quæ videntur oppositæ; res nimirum a sensibus remotas probe percipiendi, & easdem per orna-

ornamenta eloquentiæ ſenſibus quodammodo ſubjiciéndi : ex quo tamen factum putat, ut cum Poetarum omnes undique floſculos idem Plato collegerit, & numerorum myſteria, doctrinamque idearum ab Epicharmo adumbratam penitus introſpexerit, in unum hæc omnia coegerit ſeſe invicem impedientia; unde lectori obſcuritas, & mox opiniones omnino vanæ ſuboriantur. Ariſtotelem, quod philoſophiam ex involucris ænigmatum exſculpſerit, ac nudis verbis uſus ratiocinationes legibus definitis, & undique enucleatis adſtrinxerit, ipſi Platoni præfert. Quod pertinet ad rem noſtram, Ariſtotelis præcepta de moribus Platonis ejuſdem ſomniis anteponit, quod illi *viſum eſt opportunius unumquemque putari non mundi univerſi, ſed unius tantum reipublicæ civem, atque ad hunc morum doctrinam accommodari*. Sed mediocritas illa, in qua civilis virtus poſita eſt, quam varie a variis Philoſophorum ſectis declarata fuerit, fuſiore ſermone perſequitur, & ad extremum ita ſcribit.

bit. *Quæ cum omnia fluxerint ex opinionibus iis de natura rerum, ad quas erant forte delati, vel affectione animi cuique propria, vel analogia incerta quapiam, & obscura, factum est ut rationem distorserint, aut infuscarint illi in primis, qui rationi perficiendæ operam navasse maximam videbantur*. Hactenus libellum *de ortu, & progressu morum* enucleavimus. Hunc excipit *Prælectio* habita Kal. Dec. an. MDCCLXI. in qua ut probet ab angustiis humanæ mentis, & ingenii tenuitate ortum rudia illa & inculta sumpsisse, quæ de vita regenda Philosophi proposuerunt, rem ab initio repetere instituit, ejusque gradus ex ipso progressu mentis humanæ ductos accurata oratione persequi. Sed illa doctis hominibus plerisque reprehensione digna videntur, quæ in eodem sermone Stellinius docet: *ut ex iis*, inquit, *quæ non aliunde sibi quam ex rerum vicissitudine, temporumque varietatibus accidere perincommode sentiebant, impendere sibi vim divinam quamdam humana omni potentiorem*

ho-

homines conjectarunt, eamque sibi placandam observantia, cultuque aliquo statuerunt; sic ea quæ gravia, molesta, perturbata contingebant homini ex homine, commonuerunt aliquid esse debere, quod homo homini debeat. Gravius fortasse, ac verius cum Plutarcho melioris notæ Metaphysici statuere solent, cœlestium rerum, atque terrestrium contemplationem in rudibus etiam animis hominum aut injecisse primo suspicionem, aut latentem explicuisse notionem Divinitatis. Iidem etiam queri videntur, cognitionem eam, qua nihil ad veritatem illustrius, nihil ad vitam regendam utilius hominibus a natura datum, non satis firmis a Stellinio suffultam fundamentis exhiberi, dum illa scribit: *Conjecturam eam ultro subortam moderatores societatis excoluerunt, & confirmarunt eventorum iteratione subinde renovatam, & rebus præsertim improsperis alte defixam in animis. Rerum enim, quæ ad voluntatem fluunt, non admodum anxie causam inquirunt homines occupati perceptione grata bonorum, in eaque*

sub-

subsistentes; quæ vero adverse accidunt, ingrato sensu commovent animos, & mali seu declinandi, seu repellendi cura de mali caussa cogitationem injicit. Iis consentanea sunt illa, quæ postea scribit; ab administrandæ societati Præpositis ritus ac cerimonias institutas fuisse, ac legibus communitas, ut abditæ illius potentiæ cultus in animis hominum altius insereretur, ac præcipue rudiores in officio continerentur. Eumdem si audias, cum non possent homines ea cognoscere, quæ *moralia attributa* divinæ naturæ dicuntur, ad eam sibi conciliandam ea sufficere judicabant, quibus nos capi solemus; cum tamen haud ullam animi ad honestatem ipsam conformandi curam esse sibi suscipiendam arbitrarentur. Ipsum enim Deum in ea dumtaxat crimina putabant animadvertere, quæ societatem evertunt, vim, rapinas, cædes, dolos, atque alia similia. Neque vero, ut idem auctor est, gratiæ apud eam naturam alium expetebant fructum, quam hujus vitæ bona. Illa etiam Stellinii plerisque displicent,

quæ

quæ de Providentia Dei res humanas administrantis, Hobbesii potius alicujus, quam Clarkii more differere videtur. *Atque cum subinde fieret*, inquit, *ut simul & peragerentur ea, quibus excellentior obscure provisa potentia coli solebat, & evenirent ea prospere, quæ suscipiebantur aut optabantur, ideæ rerum secundarum, & curæ, consilii, providentiæ permeantis universum, & res humanas administrantis inter se colligari adeo cœptæ sunt, ut alterum alterius efficiens existimatum sit. Mens enim ad ea, quæ comitari se mutuo sæpe videt, inter se nectenda proclivis est, & alterum ex altero pendere putat. Neque solum id accidit, ubi reconditæ res & penitus abstrusæ sunt, verum etiam ubi nullo negotio pervideri posset, efficientiam alterius ab alterius efficientia plane disjunctam esse, neque habere inter se commune quidpiam*. Temporis autem progressu cum homines exculti magis, & evoluta sensim honesti forma fuisset, denique cogitasse: *naturam mentis, ac rationis compotem omnino decere, non solum æque cum aliis*

age-

agere, sed & ipsam per se compositam esse, moderatam, æquabilem. Hinc in pretio haberi cœpit verecundia, temperantia, constantia, lenitas, similesque virtutes. Cumque iidem homines rerum ipsam universitatem magis perfecte cognoscerent, *de natura*, inquit, *præstantissima, quam impendere sibi conjectura cogitabant ancipiti, cogitare distinctius, & sentire dignius exorsi sunt:* cumque non omnes homines in hac vita vel bene, vel male factorum præmia recipiant, aut pœnas, de altera vita, atque hinc de animorum immortalitate, cogitationem suscepere, quam Legumlatores, ut libenter unusquisque patriæ serviret, pro viribus excolendam arbitrati sunt. Utiliora, atque veriora esse arbitror, quæ de Philosophorum doctrina Stellinius habet, quos videlicet hominum vitæ regendæ peritorum inventa conturbasse putat. Duas autem in classes ipsos tribuit; alteram scilicet eorum, qui solam materiam esse rerum initium existimabant; & alteram eorum, qui materiæ mentem adjunge-

gebant. Illos evertisse funditus ipsam Ethicen, ab his autem paullo utiliora expectari potuisse monet. Id autem ex eo probat, quod ipse Anaxagoras, qui plus aliquid puræ menti, quam reliqui omnes, tribuerat, ne ad naturales quidem effectus explicandos eamdem induxerit, de quo graviter ab Aristotele, nec non a Platone, sive a Socrate in Phædone reprehenditur: quare multo minus credibile est eamdem ad eruenda principia induxisse, quæ ad affectionum animi temperationem pertinent. Sed & aliud honestatis fundamentum, quod ab animorum immortalitate sumitur, pene eversum a Philosophis idem Stellinius putat, haud alia scilicet ratione docentibus animos esse immortales, nisi quatenus divinæ sunt naturæ partes, in quam, extinctis corporibus, revolvuntur. *Prælectionem* totam egregia Socratis laus concludit, qui se penitus ad res humanas contulit, ac primus inter philosophos de moribus unice sibi quærendum esse statuit; sive, ut Ciceronis ver-

verbis utar, primus Philoſophiam devocavit e cœlo, & in urbibus collocavit. Eam vero *Prælectionem* alia excipit pridie Non. Novemb. an. MDCCLXIII. habita, quæ cum obſcuritatis non parum habeat, profecto mirandum non eſt, ſi variæ de ipſa extitere doctorum hominum, diſcrepanteſque ſententiæ. Hac in *Prælectione* rectum uſum ſibi conſtabiliendum ſuſcipit humanarum facultatum. *Cum*, inquit, *ex facultatum omnium inter ſe concentu rectam affectionum humani animi conſtitutionem exiſtere neceſſe ſit, ex quo ſui cujuſque ſenſus effloreſcit, æquabiliterque viget, non modo jucundus, ſed etiam cumulatus, eaque complectens omnia, quibus ipſa natura facultates idoneas indidit inchoatas, aut abſolutas, ideo ſingularum limites ex eo ſtatuendos eſſe planum eſt, quod afferre ipſæ poſſunt ad augendum, explendumque ſenſum eum, in quo felicitas eſt animi poſita, quamdiu corpus adjunctum habet, eoque intercedente cum rebus undique circumpoſitis conſociatus eſt.* Explicat deinceps, quomodo non præſentibus tantum homo

affi-

affici debeat, ut impoſito muneri ſatisfaciat, ſed etiam e longinquo providere; atque alia ſane permulta. Ex his aliqua nos ipſius auctoris verbis afferemus, ne quis aliquid ejuſdem ſententiis oratione noſtra demere, vel addere ſuſpicetur. Etenim de illo ſenſu, in quo ſitam hominis felicitatem arbitratur, ea ſcribit. *Ubi ſui ſenſus ita comparatus eſt ut conſtare ex multis debeat inter ſe varie compoſitis pro varia facultatum indole, quarum ex multigena functione pendet, quidquid a temperatione conſentanea functionum abſit, ſenſum ex univerſis redundaturum uno tenore progredi, lateque fundi vetat, eique moleſtiæ quidpiam admiſcet, aut voluptatis detrabit*. Deinde multa de ſingulis ſenſibus copioſa magis quam perſpicua oratione diſſerit, inter quæ illa, quæ non leviter faciunt ad Auctoris defenſionem, nobis commemoranda. *Ex facultate*, inquit, *in mente inſita percipiendi temperationem, ordinemque affectionum, quæ ad vitæ cultum, & ſocietatis incolumitatem, ornatumque pertinent,*

ſenſus effunditur honeſtatis, ac decoris elucentis in conſiliis, & moribus inter ſe convenienter, apteque compoſitis; quem ſenſum imbibere penitus, eique congruenter agere ſummum illud eſt, quo ipſa per ſe vis erecti magnique animi pervenire poſſit. Illa etiam notatu digniſſima nobis videntur de ſenſu honeſtatis ab eodem Stellinio dicta. *Ne vi dignitati, munerique ſuo conſentanea careat, mentis & rationis, in qua ſitus eſt, eatenus intendendæ vires, & limites proferendi ſunt, quatenus ei tributa facultatum inferiorum adminiſtratio flagitat, eo pertinens, ut uno conſenſu conſpirent omnes ad extremum illud, quo maxima bonorum adſcriptorum humanæ naturæ ſumma comprehenſa ſit.* Itaque Stellinius honeſtatem non ut famulam, aut adminiſtram voluptatis cum Epicuro exhibet, verum ei tum in voluptatem, tum in reliquos hominum ſenſus adſcribit imperium, eique munus committit hominem ad felicitatem perducendi, quæ ſi virtutis eſt præmium, virtus ipſa profecto eſſe non poteſt. Reliqua hujus

Præ-

Prælectionis, in qua obscurum, ut innuimus, Auctor sequitur orationis genus, ad sensus ipsos explicandos pertinent, ex quibus, ut ait, vitæ sensus existit, & quomodo permisceantur inter se, ac non raro turbentur, & alter alterius formam imitetur, aut simulet, quomodo præcipue sensum honestatis sensus alii corrumpant, quomodo variandi, aut intendendi, aut remittendi sensus iidem sint, ita declarat, ut maximam fuisse Stellinio in metaphysicis rebus abstrusa quælibet intelligendi vim, & acumen, quisquis ea legit facillime agnoscat. Quare non est mirandum si sæpe audiverim a viris doctissimis tum Anglis, tum Gallis, libellum, quem de rebus ad mores pertinentibus edidit Stellinius, omnium hujusmodi rerum Scriptorum bibliothecas unum superare. Dabunt vero hanc mihi veniam lectores, quod in iis exponendis paullo ultra, quam concessum historico videatur, sim immoratus. Id enim feci non tam rei utilitate, quam quod occulta quæ-

 dam,

dam, & quasi involuta, quae occurrunt in Stellinii scriptis, aliqua ratione aperienda esse putavi. Verum ipse ex multorum sententia non solum probabilem, sed etiam sapientem huiusce obscuritatis excusationem habuit. Quaedam enim sunt, quae animo magis quam verbis complecti possumus, & quae haustus potius quosdam ex aeterna mente quam verborum delectum desiderant. Ad id quae abhorrent a communi intelligentia, novum quoddam dicendi genus postulare videntur, praesertim si periculum sit, ne in propatulo posita tumultus excitent invidorum, atque imperitorum, convocata de malis scholis in auxilium quasi libera turba temulentorum. Si ut spero prodibunt in lucem (quidni praeclarum opus expectabimus ab amico & collega Stellinii, & ab omni Philosophia instructissimo viro Hieronymo Barbadico ?) quae Stellinius ipse tradere consueverat discipulis suis, haec profecto plurimum illustrabunt illius sensus, nec mediocre incrementum afferent

ejus-

ejusdem gloriæ. Quamquam hæc, eodem vivo, tanta fuit, ut, quod de Livio etiam memoriæ proditum eſt, nonnulli ex remotiſſimis regionibus Stellinium noſcendi, & conveniendi cauſſa Patavium venerint. Neque id auditum, ſed cognitum prædicamus; eſtque inter cæteros teſtis vir omni ornamento virtutis, ingenii, & fortunæ clariſſimus Comes Mercius Cæſaris ad Galliarum Regem Legatus, qui ſæpe mihi narravit, hominem ſingulari doctrina, ad quem venerat ejus congreſſus requirens, non modo ſuſtinuiſſe, ſed viciſſe etiam mirificam, quam ſui excitaverat, expectationem. Cave enim putes quemquam a philoſophia, ab hiſtoria, a jure, a politica ſcientia, aliiſque plurimis ac variis diſciplinis illo fuiſſe inſtructiorem; poteratque etiam de medicina, & anatome ſcite & litterate dicere, quod homines in his ipſis doctrinis peritiſſimi admirari non ceſſabant. Et quacumque de re aut ſcriberet, aut loqueretur, non pervulgata & communia in-

medium afferebat, fed recondita, & fæpe etiam nova, quæ creaffe & genuiffe divinam mentem clare apparebat. Præfto quoque erat Stellinio fingularis prorfus memoria, omnifque apparatus, ornatufque dicendi, quibus rebus fiebat ut judicaretur, licere ei in toto fere atque immenfo doctrinarum campo vagari libere, atque ubicumque confifteret confiftere in fuo. Quererer profecto a tanto viro adeo pauca ad pofteritatem perveniffe, fi clarorum hominum fcientiam librorum magnitudine & copia metiendam effe putarem. Nullam reliquit litteram Socrates; nihilo tamen minus totius Græciæ judicio habitus eft omnium facile princeps cum prudentia, & acumine, & venuftate, & fubtilitate, tum vero eloquentia, varietate, copia, quamcumque fe in partem dediffet. Omnino tanti viri imitator æmulatorque fuiffe mihi Stellinius videtur, cum quo vultus etiam atque oris, prout veteribus in monumentis exhibentur, haud levem geffit fimilitudinem. Illud autem

ex

idque ex eo etiam apparet quod esset dulcis, facetus, festivique sermonis; quod uti solitus esset ea dissimulatione quam Græci εἰρωνίαν vocant; quod jucundæ concertationis studio modo hoc diceret, modo illud; quodque percuntando & interrogando elicere soleret aliorum opiniones, ut iis cum lepore atque humanitate, quæ in ejus ore atque oculis apparebat, quidpiam opponeret. Habuit Stellinius ut Socrates accusatores suos, adversus quos, non secus ac ille, adhibuit liberam contumaciam a magnitudine animi, rectaque conscientia, non a superbia ductam. Et ipse quidem ob invidiæ obtrectationem nullum fecit apud æquos homines detrimentum existimationis, sed quoad vixit virtutum laude crevit. In omnibus rebus singulari fuit industria ac prudentia; eluxitque semper in eo gravitas morum, mens casta & integra, & non vulgaris modestia, sive hanc esse dicas non elatam de se opinionem, sive continentem in animo moderationem cupiditatum, sive,

 ut

ut Stoicis placuit, ſcientiam earum rerum quæ agentur aut dicentur, loco ſuo collocandarum. Minime ſilentio prætereundum eſſe putamus, non defuiſſe Stellinio poeticum ingenium, quod etſi exercitatione non aluit, valuiſſe tamen ipſum ſuis viribus, carmina quæ ſcripſit in nuptiis nobiliſſimi viri Paulli Antonii Labiæ, & Fiordaliſiæ Emæ ſatis declarant. Quamvis aptus eſſet ad conjungendas amicitias, & amicos coluerit, habenas tamen amicitiæ laxiſſimas habere voluit, quas vel adduceret cum vellet, vel remitteret. Ipſum muſicæ perſtudioſum fuiſſe accepimus, idque mirari licet, quod voce abſonus eſſet, quodque recitator ſcripti alicujus varietates ſonorum, intervalla, diſtinctioneſque parum noſcere videretur: Etenim ita dicebat, ut una ſemper eſſet ſpiritus ac ſoni intentio. Et id quidem ex eo præſertim accidebat, quod jam inde a prima adoleſcentia edentulus eſſet, dentiumque inflictu & colliſione voces in verba magna ex parte conformentur.

tur. At eo vitio fortaſſe factum eſt, ut ejus ſchola minus, quam par erat, frequentaretur. Cum epiphora menſem aliquem laboraſſet, ſed jam tantiſper recreatus videretur, repentina morte perculſus deceſſit Patavii vi. Kal. April. an. MDCCLXX. Sepultus eſt in S. Crucis, decorataeque exequiæ fuerunt omnium bonorum lacrymis, pompa, laudatione, muſiciſque modis, quos fecit amicus Stellinii Vallottius, cujus pervulgatum eſt nomen. Ad ejus tumulum hoc elogium appoſitum legitur:

D. O. M.
IACOBO . STELLINO .
FOROJULIEN .
INTEGRITATE . INGENIO .
OMNIGENAQUE . DOCTRINA .
PRAECLARISS.
ETHICA . PRAESERTIM .
QUAM . IN . PATAV. GYMN. TRADIDIT .
PATAVIN. SOMASCHENSIUM .
SACERD. COLLEGIUM .
SODAL. O. M.
M. P.
A. MDCCLXII.

Hæc

Hæc ſunt eruditiſſime Schatloyxi, quæ de Stellinio narranda putavi, & eo quidem conſilio tuum judicium ut cognoſcerem, tuoque deſiderio ut ſatisfacerem. Quæ cum leges, non parem illius ingenio, at pro noſtro tamen ſtudio meritam gratiam, debitamque relatam a me eſſe putabis. *Neque enim quiſquam noſtrum* (quadrant profecto mutato nomine Ciceronis de Craſſo verba) *cum libros Platonis mirabiliter ſcriptos legit, in quibus omnibus fere Socrates exprimitur, non, quamquam illa ſcripta ſunt divinitus, tamen majus quiddam de illo, de quo ſcripta ſunt, ſuſpicatur: quod item nos poſtulamus, non a te quidem . . . . . ſed a cæteris qui hæc in manus ſument, ut majus quiddam de* Stellinio, *quam quantum a nobis exprimetur, ſuſpicentur.*

AN-

ANGELUS FABRONIUS

CAIETANO MARINIO S. P. D.

ITA plerumque sumus natura comparati, mi eruditissime Marini, ut quam quisque norit artem, hanc unice nobilem laudeque dignam, & per eam solum posse homines immortalitati commendari arbitretur. Audi Theologum & Metaphysicum, & audies saepe homines de suis divitiis intolerantissime gloriantes; ipsam civilem rationem & privata jura non posse nisi suis consiliis ac praeceptis recte gubernari; se solos, quamvis interdum andabatarum more inter se pugnent, veritatem in manibus habere; ac miserrime eos omnes errare, qui in castra & partes suas, ubi tutissimi sint, minime transierint. Interroga Iuris consultum, & respondebit se solum tenere divinarum humanarumque rerum scientiam; omnium virtutum conciliatricem, & quasi dominam justitiam sua in potestate esse; se propinquos propinquis, cives civi-

civibus, socios sociis, urbes urbibus juris legumque societate devincire; se denique de privatorum & de imperiorum fortunis sententiam ferre; & beatissimas illas fore respublicas, a quibus non modo Poetæ, ut a Platonis civitate, sed & cæterarum omnium disciplinarum, una excepta juris prudentia, cultores pellerentur. Quid mathematici? Nonne singulis quibusque verbis repetunt se tantummodo ad lucem veritatis adspiciendam vocatos fuisse, cum cætera omnia plena sint erroris & inscitiæ; sibi unice deberi quod physica & medicina paullulum erexerint caput; & ad indicium imperii in omnes facultates, & vel in ipsas vitæ actiones, omnia complent, & implicant calculis, & in omni sermone usurpant duplicatas, triplicatasque proportiones, aliasque compositas, & infinitas parvitates, & alia huiusmodi quam plurima. Nihil dico de iis, qui signorum ortus & obitus, accessus & recessus siderum, conjunctiones & intervalla astrorum observant: hi enim, tanquam cum Diis immortalibus continenter habitent, vix se ad cæ-

teros

teros homines convertunt, nisi aut iis fata imperiose denuntient, aut studia occupationes, quæ ipsorum præ suis irrideant. Fac ingrediaris intra cancellos, quos sibi humaniorum litterarum studiosi circumdederunt, iique tibi videbuntur nullum habere velle commercium cum illis, quas commemoravimus, facultatibus. Ajunt enim divina mysteria summiße veneranda, non curiose investiganda, omnia & vel ipsam dictionem contaminasse suis subtilitatibus metaphysicos; Iuris consultum sibi videri nihil nisi Legulejum quemdam acutum, formularum cantorem, syllabarum aucupem, & alienarum opinionum recitatorem; nullo modo facilius posse animam, ut ita dicam, arescere, quam mathematicarum rerum studio; physica systemata, non secus quam muliebria ornamenta, fere quotannis variare; ridiculum eße in cælo quærere veritatem, quam circa nos, in nobis ipsis reperire non possumus; hanc in profundo, ut ajebat Democritus, naturam abstrusisse; quapropter ea studia excolenda, in quibus non frustra quæritur utilitas, sed libera quæ-

dam

dam animi oblectatio; quae in adolescentia honestissima, in juventute optima, jucundissima in senectute, cum legimus delectant, & cum scribimus sunt necessaria. Quorsum haec, mi amicissime Marini? Ut breviter iis respondeam, qui acerbe a me exigere videntur, ut de iis tantummodo scribam, qui in ea, quam ipsi profitentur, facultate excelluerunt, quasi nihil sint artes, de quibus existimare non possunt. Memini miros edidisse risus in amicorum conventu Physicum quemdam, cum me narrantem audiret fuisse Philippum Bonarrotium hominem omnino singularem, nullamque fore tam immemorem posteritatem, nullas repertum iri tam ingratas litteras, quae ejus memoriam non secus quam Michaelis Angeli Bonarrotii, Machiavellii, Galilei, Redii, & Michelii non immortalitatis memoria prosequantur. Sed bonus ille Physicus non tam me ridere voluit, quam scientiam antiquitatis, in qua se exercuit Bonarrotius, quasi leve quiddam esset & nugatorium. Et sane, ajebat ille, ecquae magna eruditio est scire, quot navibus Graeci

ci

ci ad oppugnandum Ilium accesserint; quot filios habuerit Priamus; Helenam ne rapuerit Alexander, ut Homerus, an Helenæ simulacrum, ut Euripides prodidit? Quod emolumentum ex istorum omnium scientia sperari, quod detrimentum ex ignoratione timeri potest? Abeant isti fabularum magistri, nugarum architecti, perfricent frontem, si quam habent, pudeatque eos, si quando cum Philosophiæ Doctoribus conferri se posse sperarunt. Placide & sedate hæc & alia multa audivi, & postquam nonnulla tetigi ad ostendendum idonea, quo in statu fuerit superioribus temporibus, & in quo sit etiam hodie naturæ scientia, quæ commemoranda esse putavi non ad ejusdem scientiæ nobilitatem deprimendam, sed ad hominis retundendam audaciam, postquam exemplis & rationibus præclaram illam verissimamque confirmavi sententiam, quæ docet, omnes disciplinas, & artes, quæ ad humanitatem pertinent, habere quoddam commune vinculum, & quasi cognatione quadam inter se contineri, hæc pro mea & Bonarrotii defensione respondenda esse judicavi. Sunt

pro-

profecto in omni scientia & arte certi quidam fines, quos ultra haud potest rectum consistere; quodque iis minime se continuerint plurimi antiquitatis studiosi, merito aut risum aut stomachum commoverunt sapientibus viris. Sed fac omnes imitari singularem prudentiam, diligentiamque Bonarrotii, qui ut tuto incederet, nullos alios habere voluit duces nisi ipsa antiquitatis monumenta, num esse tam vana, levia, futilia huiusmodi studia pronuntiare audebis? Hæc cognitionem dant fabularum, quæ nemo otiosorum hominum commenta appellare audebit, cum sub eis, velut involucris atque integumentis, omnis doctrina elegans, omnis ingenuo homine digna cognitio, omnis denique sapientia contineatur; eadem Geographiam augent; notitias suppeditant multorum rituum, historiarum naturalium, & civilium, linguarum, & dialectorum; veterum scripta emendant; amplificant, atque ornant historiam factis, personis, aliisque rebus, quas frustra in scriptoribus quæras; multorum factorum tempus & ordinem certo statuunt; nonnullorum

po-

populorum leges, magistratus, & mores explicant: ipsam religionem plurimum adjuvant: & artes eas, quæ ad graphicen pertinent, alunt majoresque faciunt, postquam sæculo XVI. eas ad novam vitam summa ingenia revocarunt. Non mihi nunc propositum est de studiorum antiquitatis laudibus dicere; quod si esset, facile tibi probare possem, omnes fere facultates aliquid ab iis mutuatas fuiße. Desine igitur de Bonarrotio, de studiis, quæ tua non sunt, plura garrire, ni similis esse velis Eratostheni illi, qui deridetur adhuc, quod Homerum ineptæ loquacitatis magistrum appellare non dubitaverit. Quam vellem huic amicorum conventui adfuisses, mi Marini, tuque ipse optimorum studiorum, in quibus excellis, defensionem suscepißes. Non enim coram te hiscere omnino ausus essem, ne imitari voluisse viderer impudentiam eorum, qui agebant in scena gestum, inspectante Roscio. Vale.

Pisis Kal. Jan. MDCCLXXV.

V PHI-

PHILIPPUS BONARROTIUS.


Arraturo mihi vitam Philippi Bonarrotii, hominis in explicandis monumentis antiquitatis prudentia & eruditione prope singulari, eadem fortasse accident, quæ tum accidere, cum ego non dissimile præconium Eduardo Corsinio tribuendum esse judicavi. Homines enim gloriæ vehementius, quam cautius appetentes, quibus audacia in hujusmodi facultate pro sapientia est, acerbius in me invecti sunt, quod alteri eas laudes dederim, quas sibi unice deberi contendunt. Pretio ii conducant quantolibet vilissimos adulatores, qui voces & scripta sua ad alterius non modo sensum & voluntatem, sed etiam vultum atque nutum convertere sunt parati; me certe nunquam habebunt, nisi veritatis amatorem; qua si offenduntur, neque eos ulcisci studebo, quum ipsos satis mores sui ulciscantur, neque sanare

conabor, quod ſciam in ſuperbia levitateque animi pertinaciam innaſci atque enutriri. Itaque ad rem propoſitam veniam. Philippus Bonarrotius natus eſt Florentiæ XIV. Kal. Decemb. An. MDCLXI, clara & illuſtri familia, de qua plura dicere minime eſt neceſſe, cum Philippus ipſe de ea ad memoriam laudum domeſticarum, & ad illuſtrandam nobilitatem ſuam commentariolum ſcripſerit, quod eſt in manibus hominum (1). Parentes illi fuerunt Leonardus Bonarrotius, & Junipera Martellinia, ſoror Jacobi Martellinii, qui cum eſſet non modo doctrinis Phyſicis, quas a Galileo acceperat, ſed etiam græcis, latiniſque litteris inſtructus, harum amore Philippi animum cito inflammandum curavit. Etenim in eo mirum apparebat ingenium, quod cum eluceret quotidie magis, parentes illius e re ſua fore arbitrati ſunt, ſi ipſum, poſt-

 quam

(1) Extat in fine vitæ Michaelis Angeli Bonarrotii, quam Condivius ſcripſit, quæque edita eſt Florentiæ an. 1746. a Cajetano Albizzinio.

quam frustra tentassent ad argentariam faciendam, Jurisprudentiæ destinassent. Et huic facultati quidem haud mediocriter, quamvis invita, ut ajunt, Minerva, studuit Philippus, & huic plurimum se debere putavit, quod, ut in ea, & per eam ad honorum aditum procederet, Romam missus fuerit. In Urbe enim quondam terrarum domina tot sunt reliquiæ antiquitatis, tot monumenta pristini imperii, ut quacumque ingrediaris in aliquam historiam vestigium ponas, atque ad eam plenius cognoscendam vehementer te accendi sentias. Atque hic sensus vehementissimus esse debebat in homine, cui natura tale tribuerat ingenium, ut non solum res obscurissimas illuminare, sed quasi fundamenta quaedam scientiae jacere posset. Itaque non est credibile, quantum ex commoratione Romana fructum ceperit Philippus, cui fortunate sane evenit, quod non solum foris, sed etiam domi haberet subsidia, quibus ingenio suo plane satisfacere posset. Habitabat enim in

ædi-

ædibus Gaſparis Carpinaei Cardinalis, qui eum Muſeo ſuo, ac Bibliothecæ præfecerat, cum ejus opera uteretur eodem tempore ad cauſſas cognoſcendas. Renuntiavit aliquando Bonarrotius Martellinio cariſſimo avunculo ſuo, quam lauta, & copioſa ſupellex omnis generis monumentorum, ſed præſertim numiſmatum maximi, ut appellant, moduli ornaret Cardinalis Muſeum; qua re factum eſt, ut ad horum numiſmatum indicem conficiendum ab eodem invitaretur. Hunc ita confecit, ut avunculi deſiderium explere plane potuerit; tanta erat opportuniſſimarum obſervationum copia, qua ſingula illuſtrabat numiſmata. Sed qui cæteris cumulate, non facile ſibi ſatisfaciebat. Itaque recepit avunculo, ſe meliora perfecturum; & porro opus texuit luculenter, quo nullum in hoc rerum genere neque eruditius, neque prudentius; quodque doctiſſimus quiſque, ut merito de illo judicavit Bandurius (1), ſuum eſſe

 vel-

(1) Bibliothec. num. p. 123.

vellet. Suppellectilem explicat sane sumptuosam atque multiplicem, sed non more harum rerum scriptorum, qui obruunt copia, & qui multa afferunt, quæ magna ex parte detrahi velles. Nihil apud hunc nimium, nihil longe petitum, nihil vulgare; omnia opportuna ac necessaria, omnia fere recondita. Interpretatur quorsum quidque pertineat, sed ita, ut in summa diligentia vitet fastidium numquam non adhibens plenum acuminis ingenium, plenum prudentiæ judicium; nihil plane affirmans, quin certissimos ex omni antiquitate producat testes, & quasi subscriptores sententiæ suæ. Si quid vero sibi non ita firmum videtur, de eo dubitans, & plerumque sibi ipse diffidens sententiam suam exponit. Verum non immerito dixeris dubia, & conjecturas Bonarrotii pluris esse debere quam multorum demonstrationes (ut ipsi autumant) & oracula. Quoniam vero necesse illi fuit in toto opere nonnullorum scriptorum convincere errores, ita se gessit, ut ipsa per se veritas nec ma-

gis

gis blande, nec perſpicue magis cauſſam ſuam defenſura videatur fuiſſe. Ut vero ex immenſo campo nonnulla notanda ſeligamus; quanti æſtimanda ſunt illa, quæ plurium Græcarum Civitatum Geographiam, jura, ac privilegia declarant, atque illuſtrant! Horum præcipua ſunt, quæ ad Silandeos, & Aureliopolim pene incognitas Urbes pertinent; quæ probant Tarſum, aut nunquam, aut ſaltem temporibus Paulli Apoſtoli Municipium, vel Coloniam Romanorum non fuiſſe, quæ exponunt, unde ſit orta Heraclea Ponti, aliæque huius nominis Urbes; quæ demum probant Apameæ Phrygiæ dignitatem atque amplitudinem. Optime quoque & rationi temporum conſuluit, & hiſtoriæ Cæſarum, quarum rerum obſcuritati multis in locis potuit mederi. De ritibus vero, diſciplina & juribus plurium Civitatum, de Deorum cultu, de ludis, de diebus feſtis, de quibuſdam magiſtratibus, quæ, & quanta optimo in lumine collocantur! Nulla

fortasse de re tantopere antiquitatis studiosi dissenserant, quam de Neocoris, quorum opiniones cum tam variæ sint, tamque inter se diffidentes, suam quamdam in medium attulit Bonarrotius. Putat enim Neocoros minime ad Templa, Deosque, sed unice referri debere ad dies festos, & publicos ludos, qui a Civitatibus in honorem Cæsarum celebrabantur. Hos vero, & interdum etiam Senatum, aut unici, ant duplicis, aut triplicis, aut majoris etiam Neocoratus titulo decorasse Civitates, non per vices, sed uno eodemque tempore, neque ex voluntate, sed prout res ipsa postulabat. Major enim Neocoratus maiorem celebritatem, majoremque spectaculorum numerum designare debebat. Præter hæc nihil sane constitui posse videtur, quod non incurrat in maximas difficultates; quare laus erit Bonarrotii haud mediocris, aut veriorem, aut saltem verisimiliorem in re obscurissima protulisse opinionem. Cur vero post Gallieni tempo-

ra in numiſmatibus nulla amplius mentio fiat de Civitatum Neocoris, id ipſe duplici potiſſimum cauſſæ aſſignandum putat, vel quod hujuſmodi privilegia ſummis cum infimis facta communia viluerint, vel quod omnes fere Civitates quondam ſibi proprio aut jure, aut privilegio cudendi nummos ſpoliatæ fuerint. Sic peragrat Bonarrotius per varias quæſtiones, ut ſemper illius judicium, & acumen admirari debeamus: ita felix eſt in emendandis ſcriptorum quorundam corruptis locis, atque difficillimis enodandis, ut neſcias plus ne iis reddiderit, an acceperit luminis; adeo ſcienter iudicat de iis rebus, quæ ad graphicen pertinent, ut Michaelis Angeli Bonarrotii nepotem facile agnoſcas; adeo denique delectat multarum rerum jucunda quadam varietate, ut dubitari non poſſit, quin ſit boni monumentorum antiquitatis explicatoris multa vidiſſe & noviſſe, multa animo & cogitatione immenſa legendo percurriſſe, neque ea, ut aliena, libaſſe,

ſed

ſed ut ſua poſſediſſe. Extremo in libro explicavit ſingulari artificio elaboratum anaglyptum, in quo expreſſus eſt Bacchi Triumphus; nihilque illuſtrius eſt hujusmodi explicatione ad illius Numinis fabulam bene intelligendam. Hoc opus ſtatim ac in lucem prodiit latiſſime dimanavit ad exiſtimationem hominum. Falſo autem memoriæ traditum eſt majores plauſus excitaſſe *Collectanea monumentorum veterum Eccleſiæ Grecæ, ac Latinæ*, quæ eodem tempore in vulgus protulit, ſuiſque adnotationibus illuſtravit Laurentius Alexander Zaccagnius. Sunt enim multi, qui putant, hos duos viros in poſtulanda Vaticanæ Bibliothecæ Præfectura competitores fuiſſe, & contendiſſe non tam gratia, quam ſcriptis; fuiſſeque Bonarrotium victum a Zaccagnio, quod hic majorem intelligentiam, & uſum Græcæ linguæ, Græcorumque codicum omnibus probaverit (1). Quod dictum quantum aber-

(1) Lamius memorab. Ital. Tom. I. in vita Bonarrotii. Mazzucchel. in eadem vita.

berret a vero, ex eo judicari poteſt; quod Zaccagnius Præfectus declaratus fuerit ineunte anno MDCLXXXIV. quindecim ante annis, quam Bonarrotius ſuum de numiſmatibus opus vulgaret, quo tempore nondum eum Florentia deceſſiſſe inclinat animus ut credam. Habuit quidem tum competitorem Zaccagnius Sperellum Sperellium, cui antecellere doctrinæ copia, & ingenii laude judicatus fuit (1). Quanto majores erant plauſus, qui dabantur Bonarrotii ingenio, atque eruditioni, tanto iniquior videbatur eſſe fortuna, quod præmia, quæ vel hominibus vulgaribus Romæ præſertim deferre ſolet, huic denegaret. Porro ſi eſſet habenda ratio præmiorum, ex omnibus ampliſſimum eſſe videri poteſt gloria; ſed ipſa per ſe ſola haud magna res eſt; & nihil indignius, & miſerius doctorum hominum indigentia. Huic ut ſubveniret Bonarrotius libenter ceſſit, aut potius paruit aucto-

(1) Creſcimb. Vol. II. *dei commentarj della volgar Poeſia* in elogio Card. Sperellii.

ctoritati Cosmi III. Principis sui amantissimi, quo Florentiam revocatus est, ne tanta virtus in aliena peregrinaretur Civitate. Id quoque caussæ illum revocandi fuisse puto, quod Cosmo vehementer curæ erat, ne familiæ Etruscorum extinguerentur, quæ maximis viris floruissent, quarum in numero certe erat Bonarrotia. Et quidem primi Sermones, quos Cosmus cum Philippo habuit, fuerunt de ducenda uxore. videbaturque etiam certam illi feminam destinasse. Verum sive quod hujus genus nobilitate minime exæquaretur Bonarrotiorum generi, sive aliæ subessent caussæ veriores, Philippus consilio Principis uti noluit, deque amici cujusdam sententia repente convolat Senas, adit nobilissimam puellam Faustam Malavoltam, quæ ruri habitare consueverat, & quamvis illam minime commendaret locuples dos, orisque pulchritudo, secum tamen matrimonio libentissie conjunxit. Iucunditatem Matrimonii turbarunt aliquando privatæ querimoniæ. Nihilo tamen

men

men minus ex ea Filium & Filiam suscepit; quæ dulcedinem vivendi in studiis plurimum illi auxerunt. Beneficia vero, quæ a Cosmo habuit, satis declarant, nullam de illius erga se benevolentia factam esse diminutionem, eamque ut conservaret, obtinuit præsertim diligentia ac fidelitate in exequendis gravissimis muneribus, quorum sibi fuerat commissa procuratio. Principio Secretarius, ut loquuntur, *delle Riformazioni*, & Senator declaratus est; postea Ecclesiasticis negotiis pro Principe præfectus. Quod munus quanti momenti sit, ii porro norunt, qui sciunt, quantum intersit modum imponere imperiis, quamque difficile sit, quod nimium est, temperare, & sæpe etiam conciliare contraria. Non dubito, quin antiquitatis cognitio plurimum profuerit Bonarrotio in exequendis iis, quæ sui muneris erant, neque in nugatorem quemdam tamquam in aliquem testem invehar, quod affirmaverit illum fuisse minus aptum ad id, quod commissum erat, gerendum. Quamquam

quam enim plurima deessent argumenta, quæ illum erroris, aut potius malevolentiæ convincunt, satis tamen esset auctoritas amplissimi viri Iulii Oricellarii, qui quasi alumnus disciplinæ Bonarrotii in locum illius successit, quique sæpe mihi testatus est, numquam eumdem defecisse voluntatem, atque ingenium ad recte Principis negotia procuranda. Dum in Urbe administratio Reipublicæ inexplicatum & constrictum tenebat Bonarrotium, studia antiquitatis ne obsolescerent renovabat legendo. Cum vero ei paullulum laxamenti dabatur, rus concedebat; quo liberius non solum lectioni, sed scriptioni etiam vacaret. Et quoniam ingressus erat monumenta illustrare, quibus exornabatur Museum Carpinæum, postquam profanæ antiquitatis amatoribus, numismatum explicatione fecerat satis, sacra tractanda suscepit, explicans fragmenta illa vitreorum vasorum, quibus ad signanda distinguendaque sepulcra veteres Christiani uti consuevere. Exhibent

illa

illa coloratas figuras, quas in imis poculis mos erat ipsis Christianis cælare, & quamvis antiquissimo sint artificio (ad secundum enim aut ad tertium Ecclesiæ sæculum illa pertinere gravissimis adductus argumentis judicat Bonarrotius) nulla tamen elegantia commendantur. Etenim hanc videbantur contemnere religiosissimi viri, quibus unice erat propositum sanctiora religionis mysteria, facta, ac symbola ante oculos suorum ponere, quo magis virtutis amorem in eorum animis inflammarent. Venerandas hasce reliquias eo libentius aggressus est explicare Bonarrotius, quod studia sua magis conducere putavit tum sapientibus ad imitandos summos viros, tum curiosis ad indicia veteris memoriæ cognoscenda. Et sane quid ejus aut diligentiam subterfugit, ut non notaverit, aut eruditionem ut non sit commodissime interpretatus? Necesse erat declarare ad probandam antiquitatem hujusmodi vitrorum, quæ litterarum formæ, atque ductus primoribus ecclesiæ sæculis

in

in consuetudinem venissent, idque sic præstitit in præfatione Libri, ut supplere voluisse videatur insigne Mabillonii opus *de re Diplomatica*. Inter reliqua certissimis argumentis probavit tum majusculis Litteris, tum minoribus eum ferme in modum formatis, quem nos dicimus *corsivo*, ad scriptionis commoditatem celeritatemque usos Romanos fuisse, qua de re plurimum laudatus est a Maurinis rerum diplomaticarum scriptoribus (1). Aliis etiam in operis locis sermonem habuit de variis apud veteres scribendi modis, & de illo in primis certe antiquissimo, qui βουστροφηδὸν appellabatur; odorantique omnia diligentissime nunquam non desunt aut certa argumenta, aut probabiles conjecturæ ad illustrandam veritatem. Nihil notius, quam Christum Iesum sæpe repræsentatum fuisse sub Pastoris forma. Plures hujusmodi imagines se se offerunt Bonarrotio, qui suo more omnia quærens, excutiens, & enucleans, ubi cæ-

(1) T. II. p. 623.

cæteri vix pauca notatu digna animadvertissent, ipse plurima & notat, & in medium affert. Libet exempli caussa commemorare quæ de pastorum multiplici & vestitu & cinctu disseruit, quæque e media antiquitate petita attulit de fasciis cruralibus, de mulleis, quod erat calceamenti rostrati genus, de duplici pastorali baculo, & duplici quoque vase ad lac continendum, cæterisque hujusmodi rebus sane curiosis, ac scitu dignis. Nec communia sunt illa, quæ profert de pallio, ejusque usu apud Christianos, de variis tunicarum speciebus, de toga, &, quæ ei successerunt, lacerna, ac penula, de stola, de origine sacrarum vestium, & de sabano, quo recens baptizati tegebantur. Aliud etiam illustrat vestimenti genus, quo certis in regionibus, ante quam lustrales aquas susciperent, novi Christiani homines tegebantur; cujus ex ignoratione omnes fere Tertulliani explanatores reprehendendi sui copiam fecerunt. Omnino perpaucos scriptores inveneris, qui de re vestiaria, omnique fere cultu,

atque ornamento veterum magis, quam Bonarrotius, certa protulerint, & magis feliciter apteque obſcura multa illuſtraverint. Originem diamatis illius, quod nimbum dixere veteres, apud Egyptios reperit, ejuſque uſum apud Romanos declarat. Quod autem ad Chriſtianos pertinet minime dubitari poſſe ait, vel ante Conſtantini tempora ipſos hoc ornamenti genus Chriſti imagini dare conſueviſſe. Ineunte vero Sæculo V. dediſſe quoque Angelorum figuris; dein ab VII. cum Evangeliſtis, & cum animalibus, quæ iis tamquam ſymbola tribuuntur, nec multo poſt cum Apoſtolis communicaſſe; denique omnibus, quos in Divorum numero ſancte colimus, commune feciſſe. Hoc ipſum ornamentum, quod diu proprium Cæſares habuere, paullo poſt tempora Iconomachorum renuiſſe illos apparet, ne cæleſtibus exæquari velle viderentur. De Magis ea ſcribit, per quæ docemur, vel ab antiquiſſimis temporibus in more fuiſſe Chriſtianis eorum pingere ima-

imagines; non deesse argumenta, quibus duos, vel tres, (quod magis probabile videtur) numero eos fuisse convinci possit, deesse vero omnino ad probandum eosdem fuisse aut Reges, aut stirpe regia prognatos; & vestimenta, quibus indutos ipsos exhibent vetustissima monumenta, qualia sunt in primis longa quædam femoralia *Saraballa*, aut *Sarabara* dicta, palliolum, & pileum phrygio similem, Asiaticorum propria, & perpetua fuisse. Quædam exponit Bonarrotius, modestissime quidem emendat locum quemdam interpretationis, quam Zaccagnius in vulgus edidit de Manete, ejusque cultu & vestitu; ex quo nonnulli conjicere se posse falso putarunt nescio quid invidiolæ inter hos duos viros exortum fuisse, cum Bonarrotius se relictum, Zaccagnium autem evolasse doluisset. Si quis vero in hac emendatione se agnoscere Io. Antonium Salvinium existimabit, ab eo sane non dissentiam, cum constet in iis rebus, quæ ad Græcas interiores litteras perti-

bant, sæpissime Bonarrotium ad opem illius confugisse. Narrarem etiam quam aliquando secutus sit viam, ut ipsum ad usus suos promptiorem haberet, nisi digniora, quæ memoriæ prodantur, occurrerent. Quod vero Bonarrotius interdum Salvinium, aliosque doctos homines consuluerit, & quosdam alios adhibuerit ad explicanda cogitata sua, non propterea justam illum accusandi caussam se habere existimabunt malevoli. Numquam enim interdictum fuit, ne summis viris liceat adjutores adsciscere industriæ suæ, præsertim si hæc tanta esse debeat, ut unus homo illi sufficere non possit. Cogitur porro quisque admirari, & stupescere, præter singulare acumen & judicium, quod semper eminet in Bonarrotio, immensam eruditionis copiam, qua omnia illustrat & ornat; & sexaginta volumina manu exarata, quæ ipsum reliquisse testatur Lamius (1), erant quidem lautissima supellex, necessaria tamen ad id, quod

(1) Memorab. Italor. Vol. I. p. 13.

quod ſibi propoſitum erat, perficiendum. Nam ſi quis vel leviter percurrat opera Bonarrotii, ſtatim judicabit ſine notitia omnium fere rerum, quæ ſunt nobis Græcis, Latiniſque litteris traditæ, illa ſcribi non potuiſſe. Nec minus illud probat ad ſtudia antiquitatis ex omnibus maxime natum, aptumque Bonarrotiom fuiſſe, quod omnia poſita ante oculos ejus eſſe viderentur, ut rem cum re conferret; quodque nihil negligere ſoleret, adeo ut quæ minuta & minima pleriſque videri potuiſſent, cum in manus illius inciderent, uberes ſuppeditarent fontes artis, & ſcientiæ. Quis umquam ſuſpicatus eſſet ex rudibus & vilibus vitreorum vaſorum fragmentis curioſa adeo multa, adeoque utilia potuiſſe hauriri? In his fragmentis ſunt nonnulla ad profanam antiquitatem, ſeu ad Paganos pertinentia, quibus inter ſacra dandum eſſe locum idcirco putavit Bonarrotius, quod ad horum antiquitatem comprobandam eſſent opportuniſſima. Ex his unum expreſſam ha-

habet Amoris, & Psyches fabulam, de cujus origine, & significatione, postquam satis multa protulerit, quærit caussam, cur, cum efficta illa fuerit ab antiquissimis temporibns, vel ante Romanum imperium, ipsam tamen silentio transierint veteres scriptores. Nam primus, qui de ea re scripsit, fuit Apulejus, qui vixit circiter M. Antonini tempora. Non dubitat Bonarrotius, quin hæc fabula tradita fuerit mysteriis, quæ aperire olim nefas putabatur. Posterioribus autem temporibus, quibus superstitio hominum mentes minus occupabat, tanta religione se obstrictos esse haud existimarunt scriptores; hinc factum esse, ut Apulejus non de Amore solum, & Psyche, sed etiam de Iside, Lucianus de Dea Syria, Plutharcus de Iside, atque Osiride libere scripserint. Sunt & aliæ fabulæ aliis in vitris expressæ; nec fabulæ modo, sed & illustrium virorum imagines, unde occasionem oblatam sibi Auctor putavit ad morem declarandum, qui vetustissimis temporibus fuit, ut Princi-

ci-

cipes, aliique celeberrimi viri sub alicujus Numinis forma pingerentnr. Haud pauca etiam exponit de Ludis Circensibus & Capitolinis, quod pictæ essent imagines Aurigarum, qui iisdem in Ludis victoriam vicerant. Omnia vero hæc vitra tum sacra, tum profana illud habent commune, ut inservierint conviviis; quod aperte indicant convivales acclamationes in plerisque eorum inscriptæ. Eam ob rem necesse fuit Bonarrotio haud pauca recondita de mensis veterum in medium proferre. Idem quasi festivum acroama, ne sine corollario de convivio discederent sui Lectores, attulit extremo in libro explicationem trium dyptichorum eburneorum, quæ habere in manibus potuit. Horum in altero effícta est Romuli ἀποθέωσις; alterum destinatum fuisse videtur memoriæ illius diei consecrandæ, quo die Basilius sub Iustiniano Cæsare Consul declaratus est (nam inter convivia, quæ ornare splendide, magnificeque Ludis publicis commissis, solebant Consules, aliique

Magiſtratus, dono dabant illuſtrioribus Convivis hujuſmodi dypticha) tertium demum Chriſti in Cruce ſuffixi, aliaſque ſacras imagines repræſentat. Maximi æſtimanda eſſe hæc monumenta, ait Bonarrotius, tum ob eorum raritatem (ſeptem enim tantum commemorat, quæ ad illum uſque diem vulgata fuerant, præter ea quæ illuſtrat) tum ob notitiam antiquitatis, quæ ab iis, tamquam ab uberrimis fontibus, hauriri poteſt. Quod, cum illo in primis monente, ac denunciante, alii docti viri intellexiſſent, nulli pepercerunt induſtriæ, quo plura haberemus hujuſmodi dypticha, eruditiſſimaſque eorum explicationes. Sed nolo plura de præſtantiſſimo hoc Bonarrotii opere; non quod illud pro dignitate me laudaſſe putem, ſed quod rerum modus a narratore præſertim tenendus ſit; quodque alia ejuſdem Auctoris ſcripta, ipſa quoque laudibus digniſſima, ad ſe nos evocent. Ex omnibus operibus, quæ Thomas Dempſterus poſt

ſe

se reliquit, illud omnium maximum merito existimatur, in quo colligere sibi proposuit (non omnia tamen collegit) tradita a scriptoribus de antiqua Etruria. Opus hoc, quod Florentiæ typis impressum fuit anno MDCCXXIII. & eo qui secutus est, excitavit homines non socordes ad veri investigandi cupiditatem. Res enim nulla erat, de qua tantopere docti atque indocti inter se dissentirent: in qua opinionum varietate tentare quoque voluit Bonarrotius, num ipse posset certi aliquid statuere. Id vero ad duo hominum genera pertinebat, quorum alterum clamitabat latere ista omnia crassis occultata & circumfusa tenebris, adeo ut frustra in iis inquirendis teratur tempus; alterum erat eorum, qui rem illam perfici quidem posse sperabant, nondum tamen viam perficiendæ ejus ac rationem tenebant; sicque duplicem laboris sui fructum expetebat, ut alteros reprehendisse pœniteret, alteri se didicisse gauderent. Quo vero posset ad id, quod volebat, perve-

ni-

nire, non alios duces habere voluit, nisi monumenta ipsorum Etruscorum; quæ quidem talia erant, ut novitate non magis, quam pulchritudine rerum deberent omnes ad se contemplanda excitare. Mirum vero potuisse Bonarrotium tantam horum monumentorum copiam colligere, ut opus Dempsterianum de *Etruria Regali* (sic enim inscribitur) centum fere æneis tabulis eleganter incisis auxerit. His adde minores tabulas, quas attulit non solum ad usus suos (nam & ipsæ res Etruscorum repræsentant) sed etiam ad ornamentum principii, & finis librorum; quem morem ab ipso primum inductum alii postea laudabiliter servarunt. Illas priores tabulas ita distribuit, ut iis esset non solum idem ordo; sed etiam locus rerum, quas tractaverat Dempsterus. Cum hic igitur sui operis initium duxerit a religione Etruscorum, in hanc etiam inquirere primum debuit Bonarrotius. Mirabile fortasse quibusdam videbitur Etruscos

ea-

eadem primaria Numina, quæ Græci & Latini, coluiſſe, & multas cum iis habuiſſe fabulas communes. Nam eamdem ferè, quam eæ gentes, habebant opinionem de Jove, Junone, Minerva, Hercule, Apolline, Mercurio, & Baccho, aliiſque ad Bacchanalia, & Orgia ſpectantibus. Venerem etiam eos agnoviſſe putat Bonarrotius, ſed in dubium id revocari poſſe videtur. Quod ad fabulas attinet, non ignorarunt certe, quæ pervulgata ſunt de Chimæra, & Bellerophonte, de Centauris, de Meleagro, de Caſtore, & Polluce, de Cerere, & Proſerpina, de Circe, & Ulyſſe. Et quidem in eorum monumentis ſæpe expreſſum Ulyſſem cum Sirenis conſpicimus, quam fabulam ab Etruſcis ſumpſiſſe Homerum auctor eſt Strabo. Ad hæc hiſtorias, Numina, & monſtra cæteris populis ignota habebant, & quandoque etiam, quæ ſibi cum aliis erant communia, propriis additis inſignibus, repræſentabant. Hinc alata Numina (divinum enim quiddam per

alas

alas significari ii voluere), hinc ferales Deæ faces ferentes, & alis vel in humeris, vel in capite instructæ. Deorum imagines plerumque hastis donabant, ornabantque etiam inauribus, armillis, monilibus, torquibus, hisque insignioribus. Ut erant Etrusci religionibus dediti, sic magna cærimonia ab iis sacrificia fiebant. Ad cantus, & tibicines persequebantur laudes Deorum, & inter sacra sæpe etiam choreas ducebant. Pro victimis homines aliquando ab ipsis immolatos fuisse putat Bonarrotius, sed monumentum, ex quo id deducit, visum est nonnullis pertinere ad sacra mithriaca, quæ erant apud eosdem in usu, in quibus non cædes fiebant, sed mortis minæ ac terrores jaciebantur. Funera erant magnifica & sumptuosa, & sæpe in iis etiam gladiatores adhibebantur. Conjicit Bonarrotius gladiatorum sanguine sepulcra ab Etruscis fuisse respersa, quo vel Deos inferos, vel monstrum quoddam, mortis figuram, significationemque, (quod vol-

tam

tam dixere) placarent. Non interire animas, sed aut beatas ævo sempiterno frui, aut a furiis facinorum & sceleris vindicibus cruciari putabant. Hæ furiæ alatæ plerumque exprimuntur ardentibus tædis, capillis pene solutis, subligaculo albo, lato clavo purpureo distincto, quod vittæ flavæ, vel aureæ cingulum sustentat, purpureis brachialibus, iisque reticulatis, & caligis violacei coloris (feralis scilicet) a pedibus, ad medias usque tibias. Beatam vitam indicare existimat Bonarrotius imagines in operculis urnarum jacentes in lectulis, duplici redimitas corona eodem modo, quo in conviviis accumbere consueverunt. Atque a primo quidem integra mortuorum corpora in cryptis tumulabant; postea morem induxere cremandi cadavera, & cineres in parvis urnis recondendi, quas item in cryptis collocabant. Urnis inscriptiones breviusculas addebant, & plerumque conspicari licet in earum operculis tum ex marmore, tum

ex argilla imagines virorum, vel mulierum, ad quos pertinebant, jacentium, vel dormientium specie collocatas. In fronte vero, & ad latera urnarum spectantur prælia, gladiatorum concertationes, sacra feralia, arma, & alia vel defuntorum res gestas, vel funebres ritus, vel fabulas indicantia. Nec magis superstitiosa religione insignes, quam militari disciplina nobile Etrusci fuere. Eorum monumenta satis declarant usus illos fuisse thoracibus varie ornatis, tunica subarmali, eademque succinta, & versicolore (duplici etiam tunica militem vestitum licet in quodam monumento conspicere) sagis, quibus induebantur supra thoracem, nunc angustis, nunc amplioribus, fibula plerumque in pectore, raro supra humerum colligatis. Spectantur etiam milites brevibus sagis induti, binis in utroque humero bullis ad vestem subnectendam; aliquando tunica cincta, & sago, vel solo sago, vel prorsus nudi, unica excepta galea. Ga-

leæ,

leæ aut pellibus, aut metallo constabant. Clypei rotundi, & ampli, iique sæpe aut picti aut cælati. Binos viros braccis ad talos productis tunica prolixiore, & sago villoso indutos, & capite pileum more barbarico gestantes Gallos exprimere putat Auctor, pacem ab Etruscis petentes. Hastæ cum mucrone, arcus sagittis instructi, secures, & præcipue gladii ferro, aut ære longiusculo transverso paullo infra manubrium sæpe muniti, quos vel cingulo, vel balteo ad latus sinistrum suspensos gerebant, propria erant arma Etruscorum. Temporibus iis, quibus rei militaris rudes erant, saxis, facibus, & prægrandi unco, qui hostibus impingebatur, ipsos usos fuisse apparet. Anchora eorumdem inventum, aliaque argumenta nos convincunt, fuisse navalis militiæ satis peritos, quos etiam conchæ marinæ usus docuit fortasse, ut marinas quoque buccinas fabricarent plures inflexus convolutas. Magna pompa triumphos ducebant, qua re una maxime cæte-

teros ad virtutem accendi putabant, peractoque triumpho & sacrificio ludos, & spectacula cum conviviis edebant. Ad exercendum corpus venationi dabant operam, in qua præsertim adhibebant canes, & accipitres venaticos, aut aquilas. De vestibus Etruscorum plura disserit Bonarrotius, per quæ exploratum habemus, suas ab iis magna ex parte esse imitatos Romanos. Supra tunicam gestabant pallium, vel togam, ita ut dexter humerus, & brachium esset expeditum. Arbitratur tamen Auctor antiquissimos Etruscorum sola toga contectos tunicis caruisse; etsi monumenta, quibus hæc innititur conjectura, ad sponsos, vel ad discumbentes in conviviis, aliosve, quos expeditiores esse decebat, fortasse pertinent. Feminæ tunicis longissimis, & infra papillas cinctis utebantur; his superponebant pallam, seu pallium, quod aliquando etiam capiti circumvolvebant, nisi si forte illud parvo veluti pileolo opertum haberent. Multi vero erant or-

na-

natus mulierum, quos ſingulos commemorare nimis longum eſſet. Nuptiæ celebrabantur ante oſtium domus clauſum, quod poſtea, ipſis confectis nuptiis, aperiebatur. Aderant & mulieres cum facibus Numina Inferorum repræſentantes, ad ea, ut credibile eſt, deprecanda, ut placata & propitia eſſe vellent ſponſis, vel conjugum umbris. Ita accubuere in conviviis Etruſci, ut non ſolum caput coronis redimiverint, ſed coronas ante pectus pendentes geſtaverint; ante potionem parum vini, vel in menſam vel in terram effundebant, eoque ritu ſacrificium convivale peragebant. Quare minime eſt mirandum, ſi imagines in urnis jacentes ſæpe pateras dextra manu tenere ſoleant. Iidem in arte muſica excelluerunt, & præter inſtrumenta Græcis Latiniſque communia quædam etiam propria habuerunt. Ad muſicos modos viri mulieresque ſaltabant, quæ interdum erant perſonatæ in modum Baccharum, & Faunorum. Non deerant hiſtriones,

pugiles, gladiatores. Et ipſos Circenſes ludos ab Etruſcis Romani accepiſſe videntur. Diligentiſſime ea perſequitur Bonarrotius, quæ ad graphicen pertinent, quam artem in Etruria maxime floruiſſe probant in primis ſigna quædam antiquiſſimo opere, & artificio ſummo perfecta. Anaglypha fictilia in urnis cinerariis expreſſa, & coloribus tecta, fuiſſe prima picturæ fundamenta, ac veluti incunabula, idem ſuſpicatur. Quamvis picturæ Etruſcorum careant lumine & umbris, & ſolo fundo diverſi coloris, & lineis diſtinguantur, attamen in ipſa ſola ambitus iconum, & partium delineatione totius humani corporis, & partium ſimmetriam, & in ſimilitudine pulchritudinem præſeferunt, & venuſtatem aliquando, & venerem etiam illam, quam Apelles ſui temporis artificum operibus deeſſe dolebat. Statuæ ex ære, quæ ad nos pervenerunt, non ſolum optimi perfectionem abſolutionemque oſtendunt, ſed declarant etiam Etruſcos veteribus Græ-

cis

eis fuiſſe ſuperiores æris conflandi artificio. Sunt enim illæ intus cavæ & inanes, cum Græci, teſte Pauſania, ſtatuas effingerent pluribus laminis invicem, neque eleganter admodum, junctis. Noverant & artem perfecte æris parandi, & cælandi, inaurandique metalla, & gemmas etiam ſculpendi, ab eiſque morem Græci, & Latini fortaſſe accepere gemmeis oculis ſtatuas ornandi. Multa tum monumenta, tum ſcriptorum teſtimonia comprobant Etruſcos perfecte tenuiſſe artem plaſticam. Fuerunt & peritiſſimi Architecturæ, cum ordinem ſibi proprium invenerint, & alios ab aliis inventos tranſtulerint ſcite ad uſus ſuos. Eoſdem fuiſſe inter primos, qui ſimulacris templa ædificaverunt, ex quibuſdam monumentis poſſe probabiliter confici putat Bonarrotius. Monetæ Etruſcorum non typo percuſſæ, ſed ære fuſo conflatæ fuere. Quanti vero quælibet valeret, aut penderet, orbiculi in ipſis monetis exprimi ſoliti indicabant. Quem morem ſignandi nummos, ut &

partitionem libræ in XII. uncias ab iis quoque traxiſſe Romani videntur. Conſpicere licet in utrorumque numiſmatibus bifrontem Ianum, ſed hunc plerumque Etruſci repræſentabant imberbem, & pileatum, Romani barbatum, nudoque capite. Leviter tangit Auctor peritiam Etruſcorum in naturalibus, & civilibus rebus: ex iis tamen, quæ in medium affert, conjici poteſt de ſideribus, & eorum motu, de temporibus dimetiendis, de mundi, & terrarum magnitudine, de rerum natura, de Deorum immortalium vi ac poteſtate, ipſos præclara tradidiſſe, & omnia fere liberalia ſtudia coluiſſe. Oleum, & operam eos perdidiſſe judicat, qui Annii Viterbienſis veſtigia ſecuti in interpretanda ignota ſane Etruſcorum lingua elaborarunt: aſſequi nos poſſe, quid eorum Litteræ (ſunt enim Græcis, ſi harum invertatur figura, magna ex parte ſimiles) minime vero quid verba valeant. Recte admonet aut temporum, aut locorum diverſitate figuram litte-

terarum mutatam; quod idem Latinis ob brevioris & expeditioris ſcripturæ ſtudium contigiſſe alibi animadverterat. Ad ſeparandas ſingulas dictiones adhibuere Etruſci unum, vel duo, vel tria puncta; utebanturque notis, quæ prænomina, vel dictiones aliquas pro formula apponi ſolitas, vel numeros ſignificarent. Reſtabat Bonarrotio, ut originem Etruſcorum inveſtigaret; quam Dempſterus in præteritis reliquerat. Non ariolans, ut nonnulli, quibus ſanus nemo credidit, ſed conjecturam faciens, ab Egypto eos adveniſſe putat, quando eæ regiones factæ ſunt infeſtiores magnis paſtorum incurſionibus. Etenim poſt primam inter Noe nepotes terrarum diviſionem progredientibus ætatibus, cœpere populi, vel quod ab aliis pellerentur, vel quod numerus hominum præter modum creſceret, ſedes mutare, & quæ aliis obtigerant, provincias invadere. Antequam profugi Egyptii in Etruria conſiderent, eos in Lydiam appuliſſe, ibique aliquandiu conſtitiſſe

existimat. Eodem fortasse tempore Cecrops, Cadmus, & Danaus Egyptias colonias in Græciam deduxere, & ex communi Græcis, & Etruscis origine deduci ratio potest, cur multas fabulas, ritus, superstitionesque communes habuerint. Cæterum non desunt Bonarrotio argumenta, quibus probet sententiam suam de Etruscorum ab Egyptiis origine. Comparat enim utriusque populi similitudines, quæ sunt capillorum tonsura, & vestium forma; gryphes & leones alati; Numinum simulacra alis ornata, de Diis fabulæ, opiniones circa Tartara, & defunctorum hominum poenas, non prorsus dissimilis forma litterarum, mos scribendi a dextera ad sinistram, & insculpendi litteras in ipsis signis, vel signorum vestibus. In extrema parte, & conclusione operis Bonarrotius exhortatur omnes ad Etruscæ linguæ, Etruscarumque rerum indagationem, & ipse tradit vias, quas sequi debeant studiosi. Quamvis multi postea ejus exemplo, vocibus, prospero-

que

que successu excitati in hujusmodi studium incubuerint, non tamen multum provecta est Antiquitatum Etruscarum cognitio; & ii ipsi, qui novas, insperatasque terras se detexisse gloriantur, aliquando fortasse dolebunt, quod nimis sibi assentatos esse sapientes viri judicaverint. Pauci quidem imitari potuerunt summam Bonarrotii prudentiam, paucissimi diligentiam, & sagacitatem exæquare (quis enim non fatebitur mutas figuratæ, ut appellare solemus, antiquitatis reliquias factas esse coram eo eloquentes?) quare fecit, ut vere de eo dictum esse videatur: *vetustis novitatem, novis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus vero naturam, & naturæ suæ omnia dedisse* (1). Felicem igitur appellare debemus Bonarrotiorum familiam, quod ex ea duo præstantes viri Michael Angelus, & Philippus prodierint, quorum alter monumentorum antiquitatis perfe-

(1) Plin. in prin. hist. nat.

ctus adeo imitator, alter explicator fuit, ut, qui eumdem cursum tenere cupiunt, eos spectare debeant tamquam Helicen, & clarissimos Septentriones. Nec solum scriptis, sed etiam consiliis, & praeceptis utilem operam praebuit Bonarrotius patriae, & Reipublicae. Ab eo enim Sebastianus Blanchius, Antonius Franciscus Gorius, Venuti Fratres, & alii, qui non mediocri fuerunt gloria in noscendis, explicandisque antiquis monumentis, edocti fuere. Non mediocres etiam ab eo fructus se percepisse grata declaratione testatus est Scipio Maffejus. Non possum vero eorum me adscribere sententiae, qui affirmant, eumdem praesto fuisse Q. Sectano, & Gerardo Capassio, cum alter suas in Philodemum satyras, alter Larderchianas nugas contexeret. Etenim Bonarrotius natura mitis & lenis erat, neque latine scribendi elegantia admodum valebat (si valuisset, non usus profecto esset opera Virginii Valsechii ad vertenda ex Italico in Latinum, quae de ve-

teri

teri Etruria ſcripto mandaverat) adeo, ut credibile non ſit, adjumenta ab eo illos petiiſſe, qui laudem ex probris & conviciis cum orationis nitore jactatis quærebant. Potius illud aſſentiar, quod a Lamio dictum eſt, auxilio fuiſſe Bonarrotium Raphaeli Fabrettio in illa antiquarum inſcriptionum collectione conficienda; quamquam ille potuiſſet addere fœdus quoddam fuiſſe ſapientum, qui antiquitatis ſtudia iis temporibus maxime coluerunt, ut nihil hac conjunctione ad eadem ſtudia provehenda fuerit aptius. Nihil eſt, quod libentius referam, quam conjunctionem hominum inter homines, & quaſi quamdam ſocietatem & communicationem utilitatum; execraborque ſemper, tamquam peſtem & perniciem Reipublicæ, invidos, malevolos, lividos, qui quidquid laudabile, ac præclarum in aliis vident, oderunt, atque inſectantur. Ex omnibus amicis doctrina præſtantibus, quos multos habuit Bonarrotius, dilexit maxime Ioannem Ciampinium, cujus do-

mum

mum, seu potius dixeris Academiam, sapientiæque domicilium, quoad Romæ fuit, frequentavit; quocum lustrare loca antiquis monumentis, & historiis insignia consueverat; & ad quem absens sæpissime litteras scribebat de rebus ad communia studia pertinentibus. Secundum illum coluisse videtur Iustum Fontaninium; quique norunt fuisse hunc paullo difficiliori natura, admirabuntur permansisse stabilem hujusmodi amicitiam, sicuti gloriatur ipse Fontaninius (1), ad quatuor usque supra triginta annos. Si quid in amicitiis reperisset Bonarrotius, quod minus probaret, aut quo etiam offenderetur;

(1) *Biblioteca dell' eloquenza Italiana T. 2. p.* 206. Hoc in loco Fontaninius exquisitissimis verbis laudat Bonarrotium, & merito laudatum fuisse ab homine laudum parcissimo, notat Apostolus Zenus. Addit etiam Zenus talem fuisse Bonarrotium: *che per doti d' animo, per eccellenza d' ingegno, per finezza di discernimento, per ampiezza d' erudizione, e per profondità di sapere ebbe pochi pari al suo tempo, niun superiore.*

tur, nunquam illas repente præcidit, raro sensim diffuit, sæpissimeque sua patientia, & humanitate errata aut vitia aliorum sublevavit. Et profecto esse debebat ad amicitias aptissimus homo, qui cum singulari doctrina singularem modestiam conjungebat, qui permansit semper in liberali gratificandi voluntate, qui ab adulatione, & ab aspera reprehensione æque erat alienus, moderatus, cautus, & diligens, in rebus optimis constans, & pertinaciæ inimicus, sine fuco ac fallaciis, morisque majorum perfectissimus imitator. Quamquam frugalitatem adeo amaret, ut ea etiam negligeret aliquando, quæ vitæ cultus desiderare videtur, præseferebat tamen dignitatem quamdam, nobilitatemque, quam vel odiosæ nimisque exquisitæ munditiæ cultores agnoscerent ac venerarentur. Vidisses tota in domo illius permixta, & confusa Græca, & Latina epigrammata, sarcophagos, statuas, anaglypha fictilia, ærea, marmorea, omnisque generis, omnisque antiquitatis mo-

monumenta, pictas tabulas, libros, & multa etiam ad naturalem historiam spectantia, quorum erat intelligens, & copiosus; sed hæc omnia mente & cogitatione distinguebat; gaudebatque plurimum, quoties accidebat, ut illa non sibi modo, sed & aliis usui esse possent. Itaque non est mirandum, si ejus domus quotidie frequentia doctorum hominum celebraretur. Nec quoties liberalitatem, aliasque virtutes exercebat Bonarrotius, eum gloriæ caussa facere, poterat quis existimare. Nam, ut testatus quoque est Julius Oricellarius Senator amplissimus in funebri, quam de eo habuit, oratione, nemo illo clarius ostendit quasi concentu, & consensu quodam actionum, principum Philosophorum ita cognita se habuisse præcepta, ut iis ad vitam agendam, non ad ostentationem uteretur. Diem obiit VI. Id. Decembr. anno MDCCXXXIII. & in æde S. Crucis celeberrimo Urbis loco (hunc quodammodo dixeris Ceramicum Florentinum: adeo nobilitatus est summo-

rum

rum hominum reliquiis) ſepulcri monumento prope gentilis ſui Michaelis Angeli Bonarrotii donatus eſt. In eo vero legitur hoc Elogium, quod Gorius exaravit.

PHILIPPO BONARROTIO SENATORI FLOR.
MAIESTATIS ETRUSCORUM REGUM ADSERTORI
IUSTO SAGACI PRUDENTI
SUMMO ANTIQUITATIS INTERPRETI IURIS SCIENTIA
NATURAE ATQ. HISTORIAE COGNITIONE INGENII
MONUMENTIS
SINGULARIS MODESTIAE PROBITATISQUE EXEMPLIS
CONSPICUO
FAUSTA MALAVOLTIA UXOR ET LEONARDUS FILIUS
MAERENTES P. VIX. A. LXXII. D. XX.
OBIIT VI. EID. DEC. A.
CIↃIↃCCXXXIII.

Florentina Academia, Romana Arcadum, aliique Litteratorum Coetus, quibus erat adſcriptus Bonarrotius, ejus laudes carminibus (1) & ſoluta oratione celebrarunt. Biennio antequam moreretur, habuit ab Ami-

(1) Non videtur poſſe ſilentio praeteriri Ode Thomæ Crudelii, cujus initium: *Qual non inteſo duolo;* in quam profecto illud convenit elogium: *Muſa vetat mori.*

amico Francisco Victorio honorem numismatis cum inscriptione, QUEM NULLA AEQUAVERIT AETAS; quod præconium debitum esse ejus singulari doctrinæ & prudentiæ in explicandis antiquitatis reliquiis, ii ipsi, qui eadem studia exercebant, libenter fatebantur. Sed ut vultus hominum, ita simulacra vultus imbecilla ac mortalia sunt, forma mentis æterna, quam tenere solum, & exprimere tuis ipsa moribus & præclaris operibus, beatissima anima, potuisti.

OPERA EDITA.

OSSERVAZIONI ISTORICHE sopra alcuni medaglioni antichi. In Roma nella Stamperia di Domenico Antonio Ercole in Parione 1698. *in* 4.

OSSERVAZIONI sopra alcuni frammenti di vasi antichi di vetro ornati di figure trovati ne' cimiteri di Roma. Firenze 1716. *nella Stamperia di S. A. R. in* 4.

AD MONUMENTA ETRUSCA operi Dempsteriano addita explicationes & conjecturæ. Extant in vol. II. *de Etruria Regali Thomæ Dempsteri Florentiæ* 1724 *in fol.*

DESCRIZIONE GENEALOGICA della nobile Famiglia de' Buonarroti. Extat in fine *della vita di Michel Angelo Buonarroti il* *Vec-*

Vecchio scritta da Ascanio Condivi : In Firenze per Gaetano Albizzini 1746. in fol.

Testatur Lamius ad LX. volumina manu exarata reliquisse Bonarrotium inter quæ Pictorum vitas, sed adfectas, non perfectas.

Idem Lamius inter manuscriptos codices Bibliothecæ Riccardianæ numerat: *Risposta al dubbio proposto dal Senator Buonarroti, se il sasso, che conducono le piene d' Arno scorra a di lungo, e non arrivi mai al Ponte a Signa.*



AN-

ANGELUS FABRONIUS

FULGENTIO VITMAN S. P. D.

NON ego mearum virium tam audax æstimator sum, ut satisfacere iis me posse sperem, qui Academiæ Pisanæ historiam a me non solum postulare, sed etiam exigere videntur. Eßet quidem opus utilissimum, quod in ea maximæ sint res memoria dignæ, præsertim si ab ultimis temporibus capiatur exordium: & pauci ii, qui hac in re elaborarunt, admonere reliquos & excitare, ut rem accuratius tractarent, minime vero a scribendo deterrere voluerunt. Atque ut audias, quid ego ipse sentiam, res quidem tanta suscipi non potest sine maximis subsidiis, nec institui, nisi præparato otio, nec exiguo tempore absolvi. Sunt enim illa magna historiam litterarum contexere, & gradus & quasi processus omnium disciplinarum persequi; mores & facta doctorum hominum inquirere & explicare; de eorum

scri-

ſcriptis judicium ferre; res etiam civiles non leviter attingere, quod eæ ſæpe cum litteris, harumque viciſſitudinibus arcte conjunctæ ſint; omnia denique varietate quadam condire, & non ſolum verborum, ſed etiam ſententiarum inſignibus ornare atque diſtinguere. Quamobrem quo me vocas, aut quid hortaris? Ut imiter exemplum Stephani Fabbruccii, qui ſine ullis ornamentis & ſine delectu monumenta collegit, ediditque multorum doctorum hominum, geſtarumque rerum; aut indices componam Profeſſorum, qui Academiæ operam præbuerunt? Sunt haec quidem humiliora, quam illa, quæ a nobis expectari puto. Eſt tamen, quod tibi promittere non verebor, amicorum ſuaviſſime. Pergam eligere ex ipſius Academiæ faſtis ampliſſimos viros, quos inſtituto, quod cœpi, ſervire magis arbitrabor; & cum omnium ſcribere hiſtoriam deſperem, nonnullorum ſcripſiſſe juvabit. Invitabo etiam alios in ſocietatem laboris, quod feci proxime, cum obtinuiſſem a Paullo Friſio, ut Galilei vitam exponeret. Nemo eſt, qui non intel-

ligat permagni id interesse ad decus & laudem Academiæ, in qua Galileus non illustravit modo, sed etiam genuit rectam philosophandi rationem. Et sane opus hujusmodi, nisi a viro, qui iisdem disciplinis, & artibus, quibus floruit Galileus, esset instructissimus, confici nunquam potuisset. At quamvis justa mihi sit excusatio detrectandi muneris, quod me debere Academiæ multi arbitrantur, non tamen tibi a me postulanti historiam saltem Horti Botanici ad ejus usum scientiæ, quam profiteris, & in qua excellis, istud auderem recusare, nisi homo diligentissimus, eruditissimusque Ioannes Calvius eadem in re elaboraret. Opus propediem expecta, ex quo cognosces Hortum Academiæ Pisanæ antiquitate reliquos Italicos omnes superare, nullique inferiorem esse & plantarum, herbarumque copia; & Præfectorum celebritate. Horum nomina (1) *habebis, cum his litteris; & unius etiam vitam, qui certe, editis scriptis, Horti sui gloriam fecit illustriorem. Vale.*

Pisis III. Non. Febr. MDCCLXXV.

M I-

(1) Vide ea in fine hujusce commentarioli.

MICHAEL ANGELUS TILLIUS VIII.



Ichael Angelus Tillius e Castro Florentino cum a cæteris botanicarum rerum scriptoribus, tum eximie a Michelio collaudatus est, qui ab ejus cognomine plantam quamdam flore rosaceo Tilleam appellavit (1). Sic enim erga hominem de se & de scientia, quam profitebatur, optime meritum gratus cognosci voluit. Erravit tamen Michelius in notando tempore ejus ortus, qui incidit in IV. Id. Aprilis an. MDCLV. Optime educatus fuit diligentia honestissimorum parentum Desiderii Tillii, & Lucretiæ Salvadoriæ; cumque Pisas studiorum caussa an. MDCLXXII. venisset, ibi habuit præceptorem Logices Iosephum de Papa; Philosophiæ Alexandrum Marchettum; Matheseos Donatum Rossettum; Medicinæ Iosephum Puccinium & Didacum Zarillium; Anatomes Laurentium

Z 2 Bel-

(1) Nova Plant. gener. p. 22.

Bellinium, cui quidem ſic fuit deditus, ut adoleſcens triſtem & ſeverum virum omnibus æqualibus ſuis in familiaritate antepoſuerit. Quotidie fere cum ipſo deambulabat, notabatque veſperi quidquid ab eo animadverſione dignum accepiſſet. Laurea medicinæ an. MDCLXXVII. a Zarillio accepta, Florentiam venit ad eam facultatem exercendam; adeoque ſe probavit Franciſco Redio, ut ejus commendatione ſeu potius teſtimonio ſubſtitutus fuerit a Coſmo III. in locum illius, qui morbo impediebatur an. MDCLXXXI. ne medicus navigaret in ipſius Magni Ducis triremibus. Solers, ſubtiliſque deſcriptio, quam fecit Tillius, inſularum Majoricæ & Minoricæ, aliorumque locorum, quos viſere potuit, oſtendit quanta aviditas eſſet in eo externa noſcendi, quo rectius de domeſticis judicaret. Cui deſiderio ut magis magiſque ſatisfaceret, libentiſſime accepit oblatam ſibi a Coſmo occaſionem Byzantium uſque concedendi. Ægrotabat ibi Muſaippius Turcarum Re-

gis

gis cognatione gener, amore filius, qui cum Etruriam præstantissimis artibus, & omnium disciplinarum genere, ac præsertim medicina esse pulcherrime exornatam accepisset, per Legatum Reipublicæ Venetorum Io. Baptistam Donatum petiit a Cosmo, ut sibi medicus Florentia mitteretur. Hac de re consultus Redius conjecit statim oculos in Tillium, in quo inesse dicebat doctrinam cum prudentia, sine qua medicina esse non potest, mire conjunctam. Is itaque cum Petro Francisco Pasqualio, qui Chirurgiam faciebat, discessit ab Etruria ineunte an. MDCLXXXIII. & quatuor post menses, cum Neapoli propter tempestatem aliquandiu moratus fuisset, Byzantium pervenit. Exceptus hospitio a Donato, audit ab eo longissime abesse Musaippium; etenim sequi coactus fuerat Regem, qui in Alba Græca cum exercitu caussa belli adversus Cæsarem consedebat. Doctus ille de adventu Tillii jubet ipsum ad se venire; nec solum providit, ut iter commode & tuto facere

possent, sed misit etiam, qui medico honores haberent. Deciderat ipse ex equo quatuordecim annos ante, luxatumque hac de caussa dexterum genu perverse adeo curaverant imperiti Chirurgi & Medici, ut ille nec extendere crus, nec pedem in terra ponere sine acerbissimis doloribus posset. Utrumque ut satis commode faceret, obtinuit a Tillii curationibus. Quapropter hujus nomen magna cœpit esse in gratia apud nobilissimos Turcarum, a quibus plurimum de valetudine consulebatur. Fuso, fugatoque prope Viennam exercitu, Tillius cum Musaippio Adrianopolim venit, ibique hyemavit. Primo vere cum eodem, a quo res navalis summo cum imperio administrabatur, maris Ægæi insulas lustravit, posteaqne Byzantium remeavit. Sed quamvis large, honorificeque tractaretur, magnisque promissis ad remanendum invitaretur, diutius tamen ferre non potuit Etruriæ desiderium, ad quam, ægre concedente Musaippio, rediit trigesimo men-

se,

se, postquam ab ea discesserat. Toto eo tempore, quo apud Turcas fuit Tillius, non destitit minuta quæque observare de moribus eorum, de civilibus institutis, de locorum situ, & natura; hisque de rebus sæpe litteras mittebat aut ad Apollonium Bassettum, aut ad Franciscum Redium. Tales erant narrationes, descriptionesque Tillii, ut iis etiam plurimum delectaretur Magnus Dux; quodque in iis non mediocris cognitio apparebat rerum naturalium, rem gratam Tillio, & utilem Academiæ Pisanæ se facturum putavit Cosmus, si eumdem præficeret ejusdem Academiæ horto botanico, & rei Botanicæ Magistrum declararet. Hac de re admonitus Tillius per litteras Redii, collegit multa, quibus illum hortum exornaret, & inter cætera secum attulit semina quædam Persicarum plantarum, quæ tum Italis plane erant incognita. At quantum stipendium homini doctrinis abundanti datum? Bis centum annuorum centussium; qui tamen Philosopho iis

præsertim temporibus, ad victum, & cultum satis esse poterant. Non enim apud Asiaticos molliter & delicate vivere didicerat, sed e Græcia potius antiquam morum simplicitatem, frugalitatemque, reminiscens præsertim Socratis, Xenocratis, Platonis, aliorumque Philosophorum præclara exempla, secum in Italiam deduxerat. Etenim magna vis inest admonitionis in ipsis locis, in quibus summos viros versatos esse scimus, adeo ut ad eos imitandos magis moveamur, quam si ipsorum aut facta audiamus, aut scripta legamus. Non multo postquam Tillius in Etruriam redierat, ecce ab eo, qui Tuneti dominabatur, postulata ad Magnum Ducem, ut ad se molesto magis, quam periculoso morbo afflictum mittere vellet Tillium, cujus in toto fere imperio Turcarum pervulgatum jam erat nomen. Non tam ista sapientiæ fama delectavit Tillium, quam cupiditas noscendi Carthaginis reliquias, & ex iis locis rariora adsportandi ad Pisanum hortum ornandum.

De-

Dedit igitur operam, ut Principis voluntati, ut ægroti votis, ut suis desideriis plane satisfaceret; fueruntque eventus rerum quales ipse speraverat. Inter plantas, quas inde adsportavit, sua celebratione maxime commemorata est *Cinara acaulos Tunetana magno flore suaviter olente angustis Cinerariæ foliis non spinosis*, quam Barbari illi *Tafga* nuncupant, quamque delineatam videre potes *in catalogo plantarum horti Pisani*. Dum Tuneti commorabatur Tillius, fecit etiam ephemerides barometricas, quas si edidisset & physicam, & suum nomen non mediocriter illustrasset. Erat ille quidem ad physica studia mirandum in modum propensus, & e schola Redii talis evaserat, ut naturam in ipsa natura quæreret, facta & experimenta consuleret, examinaret, compararet, nihilque præjudicati afferret: quod si laude dignum omni tempore fuit, nunquam satis quidem laudari potest iis temporibus, quibus plerique Philosophorum ad arbitrium, mentemque suam æternas,

im-

immutabilesque naturæ leges accommodare se posse, existimabant. Iisdem temporibus Anna Aloysia Medicea, quæ nupta erat Jo. Guilelmo Electori Palatino dono misit Academiæ Pisanæ Boyleanam Machinam a Muschembroechio affabre sane elaboratam. Hæc cum in manus Tillii pervenisset, non passus est jacere otiosam. Itaque sociis sibi adscitis viris doctissimis Josepho Zambeccario, Pascasio Janetto, Josepho Averanio, Guidone Grandio, & Luca Albizio, quamplurima & utilissima per eam habuit experimenta. Hæc relata sunt in commentarios, qui ad hunc diem extant; nec satis dici potest, quanta elegantia, simplicitateque Etrusci sermonis conscripti fuerint. Non dubitabis quidem ob hanc aliasque laudes ipsos comparare commentariis Florentinæ rerum Physicarum Academiæ, quamvis hi sint apud omnes gentes celebratissimi. Plurimi extitere Philosophi, qui Chrysippum imitati, dummodo Philosophiæ satisfacerent, contem-

psis-

pfiffe videntur, tamquam in arte aliena, dicendi facultatem; contra alii in rebus iis, de quibus difputavere, eloquentes, & in dicendo fuaves atque ornati effe voluerunt, in quorum numero nos maxime admiramur Galileum & Redium; horumque fchola dum extitit, extitiffe etiam videtur in Etruria rerum cognitio cum orationis exercitatione conjuncta. Neque enim dubito, quin, quo propius aliquis ad naturam accedat, eamque contempletur, eo magis naturali quodam & non fucato inficiatur nitore, quem exprimere, ac referre debeat in fuis omnibus dictis, & fcriptis. Tales igitur fuiffe oportet Tillium, & Averanium, qui conjuncta opera eofdem confcripfere commentarios, ex quibus pauca hæc notanda ad illorum præftantiam indicandam decerpfimus. Sed priusquam de iis fcribimus, hæc præcipienda videntur lectoribus, ne præterita tempora ad fua referant, neve fi qua ipfis leviora videbuntur, pari modo apud majores noftros fuiffe arbitrentur. Nam

in

in magna rerum phyſicarum ignoratione præclarum erat vel modice proceſſiſſe, & poſteriores Philoſophi, niſi ab his initiis profecti eſſent, nunquam in ſuis ſtudiis tantos progreſſus habere potuiſſent. Diverſorum animalium ſanguis in inani poſitus aerem ſemper emittebat, ebulliebat etiam, ſed perquam tarde; citius ſerum, vix vero chylus. Sic dirimi potuit, quæ jamdiu extitit controverſia, num in ſanguine inſit aer: cumque fluida corpora, quo ſunt craſſiora, & tenaciora, difficilius aerem emittere videamus (quod alia etiam a Tillio habita experimenta mire comprobant) argumentum inde elici poteſt ad confirmandam præclaram ſententiam Macbridii de aere, ut ipſe appellat, fixo, quem veluti gluten eſſe ait, quo partes corporum inter ſe colligantur. Ovorum putamen minime impediebat, quin aer in iis contentus exhalaret; ex quo experimento tota ferme duci & conflari potuiſſet, quam in vulgus edidit Ramurius, diſſertatio de

obli-

obliniendis ovis cera, aut ſebo, aut quavis alia hujuſmodi materia ad illa conſervanda. Majora exhalationis indicia dabat vitellum, ſi ſua ſpoliaretur membrana, quam albumen. Magno cum impetu bullivit urina recens reddita: eadem refrigerata lente & parum, quandoque etiam nullo modo bullivit. Manibus calefacta (calor enim neceſſarius eſſe videtur ad conjunctionem ſuperandam, quæ eſt inter urinam & aerem, & ad ipſius aeris excitandum elaterium) priſtinum recuperabat æſtum. Eadem fere oleo tartari evenere. Lac muliebre recenter mulſum, & frigidum haud multum ſpumæ egit. Calefactum illico exiluit, ſed non æque ac urina, etſi diutius bullivit. Eadem prorſus ſigna dedere lac tum aſininum, tum caprinum, quod noviſſe non inutile fortaſſe erit medicinæ ſtudioſis. Ovinum mediocriter, ſed diutius caprino, majoribuſque bullis æſtuavit. Utrumque, ſi calefiat, magno cum impetu, citius tamen primum ebullit. Major erit

hic

hic æſtus, quando lac aceſcit, quod per acidam, ut vocant, fermentationem facilius aer ſe ſe extricare videatur. Vaccæ fœtus trimeſtris ab allantoide, & corio, minime vero ab amnio ſejunctus, cum arcte colligata eſſent vaſa umbilici, ex omnibus partibus intumuit. Quod antequam accideret, amnii liquor lente prius, poſtea magno cum impetu ebullivit. Separato fœtu ab amnio, apertoque cranio, pectore & abdomine, omnia viſcera ac præſertim abdomen tumuere. Idem evenit cerebro, præſertim ſi dura matre ſpoliatum eſſet. Eadem inflatio animadverſa eſt in omnibus aliorum animalium partibus, adeo ut concludi jure poſſit inter ipſarum partium initia & elementa aerem, numerandum eſſe. Dum cerebrum canini capitis inflabatur, ſanguis ad circularem ſuum motum redibat, eodemque modo viſus eſt in teſtudine inſtaurari periſtalticus cordis motus. Veſica fellis tum ſuo liquore plena, tum vacua nunquam intumuit, quod ipſam eſſe aeri perviam de-

cla-

clarare videtur. Ova gallinacea, quæ fœtum nondum fuderant, aerem emittebant, præsertim si cortex, qua parte obtusior est, frangeretur. Tum pulli cor vidisses palpitare, magis ac magis augeri hujusmodi motum, huncque educto prorsus aere paullatim cessare. Ut ova maxime erant vieta, ita potissimum aerem exhalabant; aer enim, dum corpora corrumpuntur, liberius evolat. Varia & diversa avium genera iisdem signis intumescebant: prodibat aer ab oculis & auribus, separabaturque cutis a carne. Reddito nonnullis piscibus pene jam mortuis aere, redditam esse animam dixisses. Plurima experimenta habita super variis vinorum generibus mirum in modum confirmant, quod a Priestleyo Physico Britanno recentissime traditum est, ab aere, ut ipse nominat, fixo vires sumere vina, illoque abeunte ipsa quoque fugientia, ac vapida fieri. Aerem, quem oleum & aqua amisere, lente quidem recuperare videntur. Cum enim biennio

post

post in machina pneumatica collocarentur, minus iis æstuabant, quæ nunquam illam subiissent. Flores & fructus suavitatem odoris, nonnulli vero & saporem in inani perdunt. Balsamum jasmini & Zibetum graveolentia corruptionis signa dedere. Aqua postquam biduo in inani ebulliverat, gelu concreta non amplius ebullivit, attamen dilatata est. Id facit contra eos, qui extricationem interioris aeris caussam esse aut unicam, aut præcipuam affirmant inflationis aquæ, dum ipsa conglaciat. Lac muliebre vase formam cylindri habente contentum spumabat, dum gelu concresceret. Concretum vero exhibebat lamellas leviter incurvas, & in axem cylindri vergentes. Eamdem formam videre licet tum in asinino, tum in caprino lacte, quamquam hujus lamellæ rariores sint ac minus incurvæ; quod confirmare videtur similitudinem quamdam esse inter hæc tria lactis genera. Olivæ oleum, quod conglaciat in vacuo, ebullit & dilatatur; contra ac fit, dum

con-

conglaciat in aere. Quæ alias in vacuo conglaciaverat & bulliverat aqua, citissime concreta est. Hoc, aliisque experimentis comprobatur, quo minus aeris in se contineat aqua, facilius illam gelari. Observatum est etiam, quæ diu ad ignem ferbuit, aquam æque cito in vacuo atque in aere conglaciare. Liquor thermometri in vacuo positi nonnihil subsedit; reddito aere, ad pristinum statum rediit. Hujus phænomeni caussam, qui scire cupiunt, eos ad volum. II. commentariorum Academiæ tum Taurinensis, tum Bononiensis delegamus. Hydrometrum in aqua mersum, dum hæc aere privatur suo, multum attollitur, quod ex aeriis bullis imo hydrometro, vesicularum instar, adhærescentibus pendere videtur. Nimis fortasse multa de hujusmodi Pisanis experimentis. Porro nihil agebat, nihil moliebatur, nihil assequebatur Tillius in contemplatione naturæ, quod latere vellet in occulto; & quo latius etiam paterent res a se inventæ, de iis sæpe litteras mittebat ad

Guilelmum Reislerium Germanum, ad Sebaſtianum Vaillantium Gallum, ad Cornelium Foſſum Batavum, atque ad Guilelmum Derhamum Britannum, Regiæque Londinenſis Academiæ ſocium. Hujus rogatu inſtituit anno MDCCVII. pendere & metiri pluviam aquam, quæ certo quodam in vaſe & in annos ſingulos Piſis decideret. Id eo pertinebat, ut comparari poſſet annus cum anno, & locus cum loco, cum eamdem rem obſervaret Derhamus in variis Britanniæ regionibus. Habuit etiam Tillius alia hujuſmodi mandata ab aliis Academiæ Londinenſis ſociis, quam ob cauſſam, & ob notam cunctis doctrinam illius in eamdem Academiam an. MDCCVIII. cooptatus eſt. Gratiſſima Tillio fuit hæc commendatio ad gloriam; & quod eam unice ſe debere ſtudiis phyſicis putabat, ſtatuit ſibi nihil gravius neque antiquius futurum, quam ut ea, quoad ſuppeditaret vita, excoleret. Invitabat omnes, & eos præſertim, cum quibus amicitia & muneribus conjun-

jungebatur, ad coeundam ſocietatem laborum, ſperans ex hac ſocietate non ſolum jucunda, ſed etiam utilia hominibus allatum iri. Qui vero contra hæc ſtudia & Piſanæ Academiæ gloriam affecti erant (& tum erant maxime Jeſuitæ) illos inſanos, invidos appellabat. Non mediocrem operam & tempus poſuit cum Zambeccario & Janetto in thermarum, quibus Piſanus ager abundat, inquirenda natura; qua de re Zambeccarius ipſe anno MDCCXII. libellum edidit. Sed chymica iis temporibus non tantos proceſſus fecerat, ut ex hujuſmodi diſquiſitionibus magna ſperari potuerit utilitas. Decoctio *gallarum*, diſſolutio *ſublimati corroſivi*, certiſſima argumenta atque indicia, num ſit in aqua aut ferrum, aut nitroſa quædam materia, tincturæ violarum & heliotropii, quæ præſentiam declarant materiæ aut *alcalicæ* aut *acidæ*, unica erant, ut ita dicam, inſtrumenta ad aquarum inveſtigandam naturam. Ipſum examen, quod de ſalibus, aqua evaporante, con-

crescentibus fiebat, admodum imperfectum erat. Nil enim aliud quærebatur, nisi quam similitudinem illi haberent cum aliis jam cognitis salibus; & nemo intendebat animum in principia, ex quibus iidem constabant. Negligebantur etiam, aut prorsus ignorabantur alia plura, quæ fieri sine summa difficultate non possunt, & quæ tamen necessaria sunt ad hujusmodi aquarum recte noscendam naturam. At si non susceptæ rei perfectio, conatus tamen & voluntas juvandi conservandique homines laudari debet in Tillio, & iis, quos socios habuit laborum. Sed tempus est, ut ea explicem, quæ gessit Tillius ad res horti botanici, ipsiusque herbariæ scientiæ augendas. Erat sibi commercium de his rebus cum illustrioribus totius Europæ Botanicis; sic utebatur opera Petri Michelii, ut omnes scirent hanc esse magno emolumento ipsi horto Pisano, & vicissim Michelio per Tillium, cujus commendationes & testimonia plurimum poterant apud Principem, repen-

di

di utilitates & præmia; quidquid alibi rarum erat & ſingulare, nihil non agebat, ut obtineret; & facile etiam a Coſmo impetravit, ut Amſtelodamum homo mitteretur, quo inſtructior exoticarum plantarum cultor evaderet, & quam maximam poſſet earum copiam Piſas deferret. Hujuſce deſiderii expectationem adeo explevere Conſules Amſtelodamenſes, ut magnus ille numerus plantarum ad Tillium pervenerit, quas doctiſſimus Commelinus diligentiſſime deſcripſerat; gratulatuſque plurimum is eſt ſibi & horto Piſano non tam propter copiam, & præſtantiam rerum, quam propter ſoli & cœli naturam, cum floruerint in eo nonnullæ plantæ, & in his aloes, quas, nulla non arte adhibita, floreſcentes videre haud potuit Commelinus. Illud etiam ſingularis, inſperatæque cujuſdam felicitatis fuiſſe putavit Tillius, quod ſemen Jaſmini illius Arabici, cui nomen poſuimus *Caffè*, quodque Piſas primo delatum fuit an. MDCCXV. mediocri cultu & curatione tuto naſce-

retur, suosque ederet fructus. Quod vero ipse effecerit, ut non solum hæ, sed & aliæ nobilissimæ stirpes Galanga, Tamarindus, Zedoaria, Batates, Cerei, & Euphorbii species variæ, & quamplurimæ aliæ, quæ in Pisano horto primum extitere, cum antea Italiæ essent perobscuræ ac prope ignotæ, omnibus innotuerint, merito laudatus est a Julio Pontadera, cæterisque rei botanicæ cultoribus eximiis. Ad hanc laudem amplificandam, celebritatemque sui horti augendam deliberavit in vulgus edere librum, quem inscripsit: *Catalogus Plantarum horti Pisani*. Editus est liber an. MDCCXXIII. nuncupatusque Cosmo III. rei botanicæ studioso, & fautori præstantissimo. Minime secutus est Auctor ordinem, ac rationem a Turnefortio traditam; imitari tamen voluisse videtur quasdam ipsius negligentias, cum Acanthion, ut unam alteramve rem exempli caussa ponamus, Carduis adjecerit, quæ sine pappis thalamum ferunt, neque distinxe-

rit Guaicanam in ſterilem, & fructiferam, quæ geminæ eſt naturæ, utraque ſane florifera, & petalodes, ſed ſterilis majoribus, quam fructifera, ornata floribus, ac receptaculo deſtituta. Non propterea tamen quis dicere audebit non ſatis acutos Tillium habuiſſe oculos ad minimas plantarum diſſimilitudines noſcendas, cum potius ei, ut & Michelio, objici poſſit, inſatiabili, ut ita dicam, varietate diſtinxiſſe omnium multitudinem. Nemo enim ignorat pro ſoli natura modo contrahi ſtirpes, modo produci, modo minora, & aridiora, majora modo, & craſſiora eſſe folia, quamvis una eademque ſit plantæ ſpecies, ut propterea nulla notanda eſſe differentia videatur. Sic ex. gr. eadem Orientalis agrimonia, quæ a Turnefortio humilis dicitur, procera magis, quam vulgaris, apud nos ſurgit omnibus partibus. In eo etiam reprehendi poſſe nonnullis videtur Tillius, quod ſimillimis plantis diverſo

in libri loco diversa, sed tamen synonima dederit nomina, ut Acarna, Alcea, Anemonoides, Apocynum, Asplenium, Barbacapræ Cardus, Chærophyllum, Geranium, Hedera, Hedypnois, Hieracium, Hypericum, Pæonia, Limonium, Vitis &c. Sed cum ipse ingenue, aperteque erratum suum confessus fuerit, cæteris ademisse libertatem reprehensionis videtur. Caussam etiam affert, cur diligens corrector, & emendator sui operis non fuerit. Nam eo tempore, quo illud typis committere debuit, erat animo perculso, & abjecto ob mortem Fratris Burgi a S. Sepulcro Episcopi, qua nihil sibi ad dolorem acerbius (& is quidem ob egregiam virtutem, & doctrinam tanto mœrore dignus erat) accidere potuisse dicebat. Sed pauca vitia minimum imminuunt gloriam operis, quod non in Italia solum, sed etiam in Britannia, Batavia, & Germania magna cum laude exceptum est. Se autem non sine caussa elaborare ajebat

Til-

Tillius, ut sua studia Botanica nota essent litteratis hominibus, quod moveretur voluntate Principis, dignitate Academiæ, & memoria summorum hominum; ac præsertim Andreæ Cæsalpini, qui Pisis rem herbariam curarunt, docueruntque. Horum imitatus industriam videbat, ne quid privatis studiis de opera publica detraheret: quapropter paratissimus semper fuit ad instituendos adolescentes, sapientibusque consiliis in studiorum ratione gubernandos. Nemini etiam doctrinam suam medicam denegabat, quam inter cæteros depoposcit Carolus Hispaniarum Regis filius, cum æger Liburni esset gravi variolarum morbo. Huic rei caussam dedere multa & præclara, quæ de Tillii in medicis rebus doctrina audierat ejusdem Principis medicus Bonacorius a magistro & amico Nicolao Cyrillio. Non necesse habeo dicere Tillium simplicia amasse in medicina facienda, cum dixisse satis fuerit e Redii & Bellinii schola illum prodiisse. Nec in medicina solum,

sed

ſed in omni vitæ actione, quod ſimplex eſſet & ſincerum, ſecutus eſt egregie cordatus homo, integer, innocens, religioſus, ac plane bonus. Virtutis & doctrinæ uſum cum vitæ perfectæ proſperitate (non enim fortunam magnis divitiis metimur) conjunxit. Nam a nemine læſus tranquilliſſime ſemper vixit; floruit amicitiis, amatus, honoratuſque ab omnibus & a ſuis maxime Principibus fuit. Id quoque proſpere ei evenit ut Angelum Tillium fratris Filium, quem doctrinæ, virtutum, & bonorum hæredem fecerat, obtinuerit ſucceſſorem muneribus, quæ ſuſtinebat in Academia Piſana. Sic cum vacaret cura & negotio, ſeceſſit in patriam, ubi III. Id. Martias an. MDCCXL. ſupremum diem obiit, cum compleſſet an. LXXXIV. menſ. XI. dies III. Ejus perquamſimilem effigiem videre potes in libro, quem de plantis horti Piſani ipſum confeciſſe memoravimus, ſub qua Antonius Maria Salvinius hæc inſcripſit.

Qui

Qui Libyæ, atque Asiæ perspexit Tillius oras,
Herbarum & dias sedulus auxit opes;
Ille est quem cernis: mentis candorque fidesque
A nulla fingi protinus arte queat.

OPERA EDITA

CATALOGUS PLANTARUM horti Pisani Auctore Michaele Angelo Tilli e Castro Florentino in Pisano Athenæo Simplicium Lectore Ordinario, & ejusdem Horti Custode, nec non Regiæ Societ. Londinensis, ac Acad. Botanicæ Florentinæ Socio sub auspiciis R. C. Cosmi III. Med. Florentiæ MDCCXXIII. typis Regiæ Celsitudinis in fol. Non est celandum judicium. quòd de hoc opere fecit Hallerius p. 281 *de Bot. in Method. Studii Medici Hermanni Boerhaave. Venet. Edit.* Ait enim: *Per Africam itinera fecerat felix horti Pisani Restaurator. Excellit inprimis in stirpibus Italicis ab indefesso Michelio congestis . . . . . . Miror apud Tillium numerum stirpium, & quod nulla fere earum desit, quas habet Tournefortius, etiam quas certo novi nuspiam in rerum natura existere.*

PRÆFECTORUM HORTI BOTANICI PISANI SERIES.

I. Lucas Ghinus, natus Corvaræ in agro Fori Cornelii: operam suam præbuit Academiæ ab an. MDXLIV. ad annum MDLIV.

II. Andreas Cæsalpinus Aretinus ab an. MDLIV. ad an. MDLVII.

III. Aloysius Leonius, natus est in Foro Julii, quam-

quamvis appellaretur Bellunensis. Præfuit horto ab an. MDLVII. ad an. MDLXIII.
IV. Laurentius Mazzanga Bargæus. an. MDLXXXIII.
V. Joseph Casabona, aliter Benincasa Belga, ab an. MDXCIII. ad an. MDXCV.
VI. Polydorus Matthæinus e Sancto Mamme an. MDXCVI.
VII. Franciscus Malocchius Florentinus Sacerdos Franciscanæ Familiæ, quæ dicitur *de' Minori Osservanti*, ab an. MDXCVI. ad an. MDCXIII.
VIII. Joannes Rocchi Florentinus ab initio an. MDCXIV. ad totum Octobrem ejusdem anni.
IX. Dominicus Vigna Florentinus an. MDCXIV.
X. Jacobus Macolus Scotus ab an. MDCXIV. ad an. MDCXVI.
XI. Pancratius Mazzanga Bargæus ab. an MDCXVI. ad an. MDCXXV.
XII. Matthæus Pandolfini Florentinus Fanciscanæ Familiæ, quæ dicitur *de' Minori Osservanti*, ab an. MDCXXVI. ad an. MDCXXXIV.
XIII. Dionysius Veglia Perusinus Sacerdos Ordinis Servor. Mariæ ab an. MDCXXXIV. ad an. MDCXXXVI.
XIV. Claudius Beauregard Gallus præfuit horto quinque tantum mensibus anni MDCXXXVI.
XV. Joannes Tellier Gallus ab an. MDCXXXVI. ad annum MDCXL.
XVI. Thomas Belluccius Pistoriensis ab anno MDCXL. ad an. MDCLXXII.
XVII. Petrus Nati Florentinus ab an. MDCLXXII. ad an. MDCLXXXV.
XVIII. Michael Angelus Tillius ab an. MDCLXXXV. ad an. MDCCXL.
XIX. Angelus Atilius Tillius Fratris Michaelis Angeli Filius nobilis Pisanus. Munus suum exercet magna cum opinione doctrinæ ab an. MDCCXXX. quo tempore adjutor datus est patruo.

AN-

ANGELUS FABRONIUS

PAULLO FRISIO SUO S. P. D.

NON me pœnitet, sapientibus viris approbantibus, suscepisse consilium admiscendi meis scriptis aliena, ut in iis habeant Lectores veluti peropportunum aliquod diversorium, ubi defatigati requiescant. Diu anceps fui, quid potissimum eligerem ad hoc ornandum volumen, convertique tandem animum ad Ramiri Rampinellii vitam, quod ea scripta sit diligentissime a Francisco Turriceno, quodque res gestas contineat hominis, cui sane Italia, Mathematicæ omnes disciplinæ, ac præsertim Analysis non mediocriter debent. Mirabantur porro multi majorum nostrorum memoria perpaucos apud nos extare, qui scientiam tum ad geometricas, tum ad physicas explicandas quæstiones utilissimam excolerent; & eo magis mirabantur, quod ejus prima vestigia, ac prope incunabula in ipsa Italia reperirent. Constat

enim

enim primum omnium, qui de eadem in vulgus libros edidere, fuisse Lucam Pacciolium e Burgo a S. Sepulcro Franciscanæ Familiæ alumnum, qui cum varia a variis, & præsertim a Leonardo Pisano sumpsisset, fecit ut usus communis vulgarisque esset æquationum quadraticarum, quarum duas eße radices ostendit (1), *talique modo jactis scientiæ fundamentis excitaße videtur Hieronymum Cardanum Mediolanensem, ut rationem doceret resolvendi non solum quadraticas, sed etiam cubicas æquationes* (2). *Hæc glorio-*

(1) Ejus liber inscribitur: *Summa Arithmeticæ & Geometriæ, proportionumque, & proportionalitatum*. Venetiis, ut affirmat Vallisius, editus est an. 1494., iterumque prodiit 1523. in Tusculano pago apud Benaci oras.

(2) Prodiit in lucem *Ars magna* Hieronymi Cardani an. 1545. Cardanus tamen ipse fassus est ingenue, primum omnium Ferreum Bononiensem æquationes cubicas resolvisse. Nemini ipse mirum hoc inventum aperuit, præterquam Antonio Florido Veneto ejus auditori. Cum porro isti fuisset disputatio & certamen cum Nicolao Tartalea, huic nonnulla proposuit problemata, quæ

re-

riosa sane Italiæ reminiscentes ineunte hoc sæculo Guido Grandius, & Gabriel Manfredius, cernentesque animo, quæ Galilei vestigia persequens de methodo indivisibilium tradiderat Bonaventura Cavalerius ad investigandam superficierum, solidorumque curvilineorum mensuram ac proportionem, nihil non tentandum esse statuerunt, quo ad Italiam veluti postliminio Analysis rediret. Quid ii summi viri gesserint ad nobilissimæ scientiæ cum faciliorem usum, tum incrementum, nemo te melius novit, doctissime Frisi, qui aliorum inventa perfecte teneas, & in clarissimis ipse harum rerum inventoribus numereris. Sed non satis erat ad Italiæ

resolutionem æquationum tertii gradus postulabant. Tartalea ne primas illi concederet, adeo elaboravit ut ad optatam resolutionem pervenerit. Qua de re certiorem primum fecit Cardanum, postea ei efflagitanti regulam indicavit celata demonstratione. Cardanus his subsidiis instructus cuncta invenit atque perfecit, ac primus typis mandavit. Hinc factum ut formula, in qua resolvitur æquatio tertii gradus, Cardanica nuncupetur. V. Ricat. in *præf. Inst. Analyt.*

liæ gloriam prodiiße ex ea viros, qui vel sublimioris Analysis quasi semina sparserint; & extitisse, qui ea mirum in modum coluerint, ac permagnos ex ipsis fructus perceperint. Etenim neceße erat reperiri, qui omnia, quæ in alienis ac præsertim exterorum scriptis erant inclusa ac disseminata, colligerent, disponerent, ac bono in lumine collocarent, sicque studiosis vias artis tradendo consulerent. Perfecit id felicissime Cajetana Maria Agnesia duobus editis voluminibus an. MDCCXLVIII. *quorum ope incredibile est, quantum analyseos studium in Italia fuerit provectum. Nec fateri dubitavit ingenua femina operis sui gloriam cum laude Rampinellii conjunctam esse debere, quod ab eo non solum scientiæ præcepta, sed etiam industriæ subsidia habuerit. Quod vero Rampinellius talis esset vir, ut quam consecutus erat præstantiam doctrinæ eam discipulis libentissime impertiret, communicaretque cum amicis, merito laudatus est ab omnibus & a te præsertim, qui nobilissimum virtutibus, interioribusque ipsius litteris testimonium de-*

di-

disti in ea, quam an. MDCCLXIV. *Mediolani habuisti Praelectione. Ais enim:* quantus esset (*Ramirus Rampinellius*) in re analytica, manuscriptae ipsius institutiones mechanicae ac staticae testantur, quantusque esset Geometra, opus posthumum Lectionum Opticarum satis ostendit: ego autem per me ipsum utrumque, Ticini biennio cum essem, peculiari studiorum fructu exploratum habui, quam in utraque arte excelleret, quam haberet naturalem perspicuitatem, elegantiam, nitorem ac rerum ordinem. Rampinellio apud nos degente eousque litterariae gloriae perventum est, ut AUGUSTAE FEMINAE auspiciis maximum femineum opus prodierit, analyticae scilicet Institutiones omnium judicio absolutissimae. *Omnino assentio tibi, amicorum suavissime, maximam jacturam fecisse litteras, quod tanta femina nuncium Mathematicis disciplinis remiserit, ut liberius religioni ac pietati serviret. Ego vero, ajebat Grandius, Mathesi semper vacabo, quod ex aeterna veritate efflu-*

xerit quidquid teneo, quodque animus ab ipsa pictura & imaginibus bonorum, quæ studio assequimur, ad rem, fontemque ipsum omnis boni possidendum traducatur. Quæ dum dicebat, non verebatur ne non perinde intelligi auditu deberent, atque ipse cogitans sentiebat, præsertim cum omnibus appareret omnia officia Christianæ religionis ab eo diligenter sanctèque servari. Sed nolo te pluribus morari, mi Frisi. Hæc enim satis ostendunt quid debeat Italia, & Analysis Manfredio, Grandio, & Rampinellio, quæ commemoranda esse putavi ad probandam omnibus rationem, cur posteaquam Manfredii vitam explicaverim, scribendum etiam de Grandio, expositosque ab aliis diligentissime mores resque gestas Rampinellii hoc loco proponendas putaverim. Cupio te habere mei consilii laudatorem; utque faveas huic meæ voluntati, adjutorque sis (majus enim quiddam esse arbitror, quam meæ vires ferre possint, de præclarissimis Grandii operibus eleganter & enucleate dicere) vehementer te rogo. Vale. Noli *putare hominem,*

nem, cui commiseram, ut Riccii mathematica scripta, si qua supersunt, inquireret, mandata mea exhausisse. Non enim te fugit quantam perturbationem rerum urbanarum afferat Pontificis obitus, quantamque cupiditatem aulicis injiciat vacuitas. Iterum vale.

Pisis XIV. *Kal. Dec.* MDCCLXXIV.



FRANCISCI TURRICENI

Ad Clarissimum Virum, & Præstantissimum Congregationis Olivetanæ

PRÆSULEM

BERNARDUM ONUPHRIUM

DE VITA

RAMIRI RAMPINELLII

EPISTOLA.



Tsi quod tibi, Vir Clarissime, elapso ab hinc anno promiseram, id me fidenter nimis, ne dicam temere, & inconsulto promisisse jam senserim, ea tamen sunt tua in me merita, is meus erga communem amicum amor, ut quidvis aliud mihi objici, aut a me exigi malim, quam ne officio desim, & fidem meam liberem atque absolvam. Scilicet recenti adhuc dolore propter immaturam clarissimi, ejusdemque amicissimi viri Ramiri Rampinellii mortem statim, ac sine ulla hæsitatione promisi me ejus vitam scripturum. Ferme enim

enim pares ætate, paribus studiis, licet dispari longe fructu, primam adolescentiam summa cum familiaritate transegimus, quam quidem amicitiam ille, qua erat humanitate, constanter retinuit, & ego studiosissime colui. Sed cum manum ad scribendum admoverem, re propius inspecta, subiit animum inter alias hæc dubitatio: quidnam ego in medium proferre auderem de eo viro, cujus præcipua laus fuit, quod egregias animi, atque ingenii dotes apud exteros sedulo obtegeret, inter conscios dissimularet plerumque, semper imminueret? Nempe quantus ille in Mathematicis disciplinis fuerit, satis Lectiones in Ticinensi Lyceo habitæ, satis hoc ipsum, quod nunc editur, opus, satis elogia, quibus ab Etruscis, Romanis, Venetisque Scriptoribus ornatus est, & demum clarissima illa ingenia, quæ hisce studiis instituit atque formavit, satis ostendent. Mihi igitur leviora commemoranti in tenui laborem fore, scriptori certe inglorium, nec le-

gentibus fortassis gratum probe intelligebam, ac proinde manus ab incœpto veluti retrahi sentiebam. Sed cum illustrium Virorum vel minima quæque seu dicta, seu facta a nonnullis nosci desiderentur, & a doctis etiam quandoque avide excipiantur, hinc officii mei rationem confidens posse aliquibus saltem probari, has partes mihi sumpsi, ut illum tibi sistam non ea dumtaxat facie, qua Geometram exhibet, sed qua etiam hominem, qua amicum, qua civem. Dum itaque hæc ego sigillatim & prolixius fortassis persequor, dumque hoc modo mihi videor desiderium tanti viri aliquantum levare, ne quis mihi hoc genus solatii invideat, aut culpet velim.

Natus est Ludovicus Rampinellius (Ramiri enim nomen adscivit tum solum cum in clarissimam Sancti Benedicti de Monte Oliveto Congregationem cooptatus est) Brixiæ IV. Id. Aug. A. MDCLXXXXVII. ex honestissima familia atque inter primarias Triumplinæ Vallis, quæque Gardo-

done haud ignobili vico x. ab Urbe lap. jamdudum opibus, clientelis, auctoritate principem facile locum tenuit. Postea in Urbem translata ineunte sæculo XVII. hic affinitatibus, amicitiis, liberalitate atque hospitum frequentia maxime floruit. Marchesius ei pater & Hieronymus avunculus fuit, qui conjunctis licet ædibus, separatim tamen ambo lautiore victu, & elegantiore cultu, quam tunc temporis in hac severioris Italiæ parte moris esset, agebant. Maternum vero genus traxit æque illustri Chinelliorum gente. In hac igitur florentis domus suæ dignitate natus est Ludovicus, qui, ubi per ætatem licuit, in Scholis PP. Soc. J. latinis litteris imbutus est. Postea in Collegio Adeodati Gazolæ Veronensis, quod non procul a paternis ædibus aberat, audivit Rhetorices præcepta interpretantem Franciscum Rotignum non contemnendi quidem ingenii hominem, in cujus scriptis, si judicium aliquando requireres, elegantiam certe raro desiderares. Sed

noster absurditatem morum ejus & rusticitatem brevi pertæsus ad scholas rursum PP. Soc. se retulit, ubi sub variis Magistris omnibus doctrinis, quibus juvenilis ætas impertiri debet, eruditus est. Confecto Philosophiæ cursu ad audiendum nobilem Juris civilis interpretem Felicem Baitellum properavit. Sed nobilissimum hoc legum studium illi minus arrisit, eodem scilicet fato, quo aliis quoque magnis ingeniis id evenisse legimus. Abjecto igitur non sine patris offensione Jurisprudentiæ studio, ac sibi ipsi redditus circumspicere cœpit, quo se verteret otii impatiens, & cæterarum rerum, quæ illam ætatem oblectare solent, incuriosus aut contemptor. Cum aliquot menses egisset quem librum sors obtulerat captim legendo, tandem probe intellexit se vaga ac intemperanti hac eruditione id prorsus agere, ut nihil sciret. Ego sæpius sermonem injeceram, & hortatus etiam fueram, ut in Geometriam otium illud, de quo adeo querebatur, impenderet;

ret; & ille quidem propensissimo erat erga scientiam ipsam animo, sed demonstrationum tædium aversabatur, & ad hoc nomen ita exhorrebat, ac si inter vepres & dumeta nudis pedibus eundum esset. Postremo hanc ipsam amplexus est, sed proposito sibi scopo longe diverso ab eo vitæ ordine, quam postea instituit. Nam sicut celeberrimus ille Newtonus in arcana penitioris Geometriæ tam longe postea penetravit, cum primo sibi illam solummodo delibare proposuisset, ut principia Astrologiæ propius introspiceret, ita & Rampinellius, qui sibi nihil aliud præfixerat, quam elementa Architecturæ militaris, cujus amore summopere capiebatur, vel leviter addiscere, in vastam postea Mathematicarum scientiarum altitudinem se condidit. Sed dum ego occasionem, qua id factum est, altius aliquantum repeto, erunt fortassis, quibus ineptire & nugari videar, sed iis suo quidem judicio relictis, quæ tibi, qui hominem nosti, commemoratu non injucunda

fo-

fore, quæque ad rem pertinere arbitror, omittere non ausim. Non enim abs re omnino fuerit in vita insignium Virorum observare qualia sint prima indicia ac veluti semina illarum facultatum, quibus postea excelluerunt, ut ii, ad quos hæc observandi cura maxime spectat, vim istis animi affectionibus non inferant, nec feliciora ingenia alio deflectant, eaque obnoxia veluti mancipia in aliquod pistrinum detrudant. Occasio autem, qua omnium difficultatum timorem exuit, & studia Geometriæ auspicatus est, hæc fuit. Cum soleret ad me ventitare, solito citius prid. Kal. Junii anno MDCCXVIII. venit medio fere diei æstu, statimque edixit se velle mecum Arcem, quæ domui meæ imminet, adire, quam scilicet numquam antea inviserat. Imus ergo, nam quodcumque ille vellet, flagrantissime volebat, cumque ad oram exteriorem Fossæ constitissemus, tum ille altitudinem mœnium, propugnaculorum sinus cœpit attentius contemplari adeo, ut

ab

ab hoc ſpectaculo ægre divelli poſſet. Poſtquam autem primam portam intravimus, & novus murorum ordo, aliaque munimentorum facies ſe obtulit, illicò ſtudio rei militaris ſummopere accenſus eſt. Cum vero ſingularum rerum uſum, & utilitatem ſcire vellet, cœpit veteranum & emeritum militem, qui nobis cuſtos & dux viæ additus fuerat, tot interrogationibus fatigare, ut iſte mihi in aurem poſteà dixerit, ſe exiguam illam ſtipem, quà nos eum donavimus, numquam adeo meruiſſe. Acrius tamen adhuc interroganti obvium ſe forte obtulit Arcis Propræfectus, qui ubi cognoviſſet Ludovicum rei militaris cupidiſſimum, multa cum humanitate ſe ducem exhibuit, & machinarum atque operum omnium interpretem. Quod quidem accurate præſtitit, imò & librum Rampinellio commodavit manu ſua ſcriptum, in quo faciliores quaſdam methodos in deſcribendis, & conſtruendis hujuſce generis poligonis ex Vaubano & Cohornio excerptas

in

in usum suum adnotaverat. Potitus hoc veluti thesauro Ludovicus statim regreditur; dumque in descensu Arcis neglecta viæ asperitate librum hac atque illac versat, impacto in extantem silicem pede, adeo graviter prolapsus est, ut pene crus infregerit. Nec ideo tamen destitit, quamvis ego sæpius intercederem; sed librum attentissime legere perseveravit, donec veluti a somno experrectus sensit se esse in media urbe, atque in multa hominum frequentia versari. Ubi librum reposuit, ego illi libere prædixi, probe ipsum falli, si quid proficere in eo studio Architecturæ militaris sine Geometriæ præsidio unquam speraret. Domum reversus reliquum diei, noctemque fere totam evolvendo libro & tabulis conspiciendis insumpsit. Hic veniam peto, si animi caussa lepidum hominis factum adjungam, utarque pro excusatione verbis Taciti (r). Parvum enim & ridiculum fortasse videtur quod dicturus sum, di-

(r) Sive Quintil. sive quis alius scrip. *de caus. cor. eloq.*

dicam tamen vel ideo, ut rideatur. Postridie summo mane cubiculum meum irrumpit, & statim Geometriam se velle discere, jamque omnibus instrumentis ad id necessariis se instructum profitetur, ac deinde grandem circinum ferreum & immanem regulam depromit, quam sub vestibus ægre tegebat, quo ille apparatu mihi fabri alicujus lignarii pedissequus plane videbatur. Verum ille de successu studiorum suorum lætus, ut mihi quoque fidem faceret quantum una in nocte profecisset, cœpit prægrandi illo circino in pavimento cubiculi circulum describere, ac circulo exagonum velle inscribere, quod antequam perficeret properavi ego novellum hunc Archimedem domo extrudere, ne mihi totum pavimentum novo hoc ornamenti genere dehonestaret. Unus in urbe nostra tunc temporis Joannes Baptista Mazinus (si alterum excipias P. Bornatum hujus magistrum senio jam confectum) mathematicis studiis operam dabat, qui & medicam artem summa

cum laude exercebat, quique paucis post annis in Patavino Lyceo celebris Medicinæ Theoricæ Professor fuit, atque editis operibus clarissimam famam, præsertim apud Germanos & Anglos, adeptus est. Ad hunc ergo affinitate mecum conjunctum, & quo ego Magistro biennio ante in hisce studiis uti cœperam, Rampinellium deduxi, ac summopere commendavi, licet iste jam se satis Mazino & discendi ardore, & erecta, qua erat, indole probavisset. Cœpit itaque summa cum voluptate, & pari etiam rapiditate elementa Euclidis devorare, jamque primum librum superaverat, cum improvisus fame turbo illum adflixit, & pene ab incœpto dejecit. In hæc siquidem studia se conjecerat inscio patre, qui adhuc usque speraverat posse filium seu amicorum hortatu, seu paterna auctoritate ad Jurisprudentiæ exercitationem revocari. Ubi autem Pater deprehendit adeo diversam iniisse viam, tum vero ad se vocatum acriter increpuit in præsentia amico-

eorum, qui frequentes aderant, plerisque eorum irridentibus & sciscitantibus, num ne Astrologicam artem profiteri vellet? Nullo scilicet discrimine, ut olim Romani, Mathematicos cum Astrologis facile confundebant. Nec stetit intra objurgationes pater, sed filium omni commercio sive cum Mazino, sive mecum, sive etiam cum libris istius generis severissime interdixit. Imo eo usque excanduit, ut domum universam excuteret, everteretque, quo libros hujusmodi rimaretur; quos diligentissime conquisitos, discerpsit omnes, aut in ignem projecit. Prope absuit, quin eamdem sortem subiret etiam ille codex manuscriptus, quem filio, ut supra memoravi, commodaverat Arcis Propræfectus, nisi illum mater tempestivo officio subtraxisset. Periere eo incendio Maurolycus, Commandinus, Tartalea, Tacquetus, & præterea, quod rideas, Steganographia Trithemii avitus vetusque in domo liber, quem tamen ob solam tituli invidiam misere suspectum eisdem flam-

mis inclementer damnavit. Perculſus hac denunciatione, hiſque patris intemperiis Ludovicus, & ludibrio adſtantium acerrime offenſus pene in deſperationem actus eſt. Fugam inde a paterna domo cœpit meditari, ut Veronæ inter gravis armaturæ equites conſcriberetur. Suboluit hoc conſilium illis ipſis amicis, qui eum paulo ante irriſerant, quique pœnitentia ducti quod optimæ ſpei adoleſcentem ipſi quoque veluti in præceps adegiſſent, omnem deinde lapidem moverunt quo patrem ei conciliarent, & proſequendi hujuſce ſtudii veniam obtinerent. Nondum igitur elapſo menſe a domo Avunculi, ad quem noſter confugerat, in ſuam, & in amplexum patris reverſus eſt, adnitentibus PP. Soc., & præcipue inter alios Petro Bornato. Optimus enim ille ſenex, qui uſque ad ultimam ætatem hæc ſtudia conſtantiſſime coluerat, quique per longas veterum methodos & ambages pene contabuerat, cum videret ultra montes novum lumen exoriri, viamque paul-

la-

latim sterni multo magis compendiosam, flagrantissime cupiebat, ut aliquis ex nostris civibus, & præsertim Rampinellius, cujus ingenium perspectum habebat, Algebram capesseret. Reducta itaque animi serenitate Geometriam resumpsit, ac se pristinæ nostræ consuetudini restituit. Duobus vix mensibus alios V. Eucl. libros, & insuper XI. ac XII. emensus est. Autumnalibus vero feriis se totum Arithmeticæ dedit. Insequenti anno Geometriam practicam, Staticam, Mechanicam, & Trigonometriam linearem ac logarithmicam didicit, quin aliquid etiam attigit Sectionum Conicarum: incredibili sane celeritate si adverteris eum per exactas quidem, sed prolixiores veterum demonstrationes circumductum fuisse, quæ si utilitatis aliquid, moræ profecto ac tædii plurimum afferunt. Sed jam tempus advenerat, quo promptissimum hoc ingenium velut e carceribus emitteretur, seque ad eum cursum, quem adeo rapide, adeo feliciter peregit, expediret. Nam

excitus fama celeberrimi Gabrielis Manfredi Bononiam cogitare cœpit, & commeatum ad hoc petiit a parentibus, & impetravit. Hic animadverti velim Rampinellium non adeo Geometriæ omnis expertem & plane rudem, ut quidam volunt, Brixia discessisse, imo ea omnia, quæ supra exposui, studia sub Mazino præmiserat, & hoc, ut verbis utar Cor. Nepotis, non auditum, sed cognitum prædicamus. Porro quin hæc comperta testataque haberemus, haud quidem credibile fuerit Rampinellium ita, ut ferunt, crudum eo usque confidentiæ processisse, ut sub Manfredo Geometrarum Bononiensium tunc temporis facile principe, prima tyronicii sui rudimenta ponere tentaret, & in primo hujus scientiæ limine, ipsoque in vestibulo ausus esset tantum virum convenire, ad quem per gradus ultimo in superiori loco adscendere debuisset. Nec verisimile etiam videatur Manfredum tunc penitioris Geometriæ meditationibus alte defixum, novisque

in

in analysi inventis unice intentum, se adeo submisisse, ut erudiendi tyronis, perque prima elementa manuducendi onus & curam in se vellet recipere. Non igitur tam pauca Ludovicus primis suis magistris debuit, qui eo usque illum perduxere, ut dignus Manfredo discipulus statim haberetur, & sine quorum opera nec quid sibi ab isto petendum, sperandumque foret rescire equidem potuisset. Sed nec adeo, ut ipsi asserunt, in latino sermone peregrinus & amœniorum litterarum jejunus erat, cum Bononiam profectus est; iis enim optime excultus fuerat, licet præ sublimioribus scientiis, erga quas a natura ferebatur, hæc ornamenta toto fere adolescentiæ cursu neglexerit. Liceat duo hæc verba perdidisse, nunc ad propositum redeamus. Triennium pene integrum cum Manfredo egit; & duobus quoque insequentibus annis, quamvis non eadem frequentia, postquam aliud vitæ institutum amplexus fuerat, ejus auditor fuit. Hoc intervallo totam
 il-

illius ſcientiam, ut ita dicam, exhauſit; adeo ut clariſſimus Analyſis Profeſſor diſerte fateretur, ſe nihil ultra habere quod eum doceret: rariſſimo ſcilicet apud Magiſtros ingenuitatis exemplo, quod ut alii imitentur, optaveris ſæpius quam obtineas. Sed æque rarum inter adoleſcentes modeſtiæ & grati animi ſpecimen noſter dedit; nam licet a Manfredo non jam ut diſcipulus, ſed ut ſtudiorum ſuorum ſocius haberetur, non ideo tamen altiores ſpiritus ſumpſit, ſed optimum ſenem coluit aſſidue, dum ipſe Bononiæ moratus eſt, & quoad vixit ſumma cum reverentia obſervavit ſemper, atque ſuſpexit. Patefacta igitur per calculum & Analyſin, velut reductis in theatro velis, tot ſublimiorum veritatum ſerie, tum vero noſter in contemplatione earum altius evectus, cœpit a publico plerumque abſtinere. Divina nempe providentia paullatim ſternente viam, qua is, qui primum inter armorum ſtrepitus & bellicos tumultus ingenium exercere decreverat,

nunc

nunc vitaret civium frequentiam, inde amicorum etiam consortium declinaret, postremo ad claustrorum solitudinem confugeret. Cogitanti autem quodnam sanctioris vitæ institutum sibi, ac studiis suis opportunum deligeret, quin nobilissimam Congregationem tuam aliis anteferret, non diu fuit ambigendum. Prius tamen, quam omnino deliberaret, statuit hoc consilium civi suo, eique doctissimo, ac prudentissimo, aperire. Is tu eras, vir clarissime; nam tunc temporis Bononiæ aderas, ibique Theologiæ operam dabas; & tu probe memineris, cum ille ante te in cubiculo constitit flagrantissime rogitans, ut in clarissimum ordinem adsciscceretur, adeoque moræ impatiens impotensque erat, ut non levem suspicionem tibi injecerit, ne forte ægritudine animi, aut immodico alio affectu ageretur. Tu qua es dexteritate rem in suspenso tenuisti, donec aptis interrogationibus animum ejus explorares, & donec etiam secreta inquisitione in mores ejus penetrares, qui

nondum satis tibi perspecti erant. Comperta denique optima juvenis indole tu auctor, fautorque adfuisti, ut in egregium hunc cœtum reciperetur summo omnium consensu. Contigit id Bononiæ Kal. Novemb. An. MDCCXXII. In novo hoc vitæ genere id primum curavit, ut omnes Instituti leges observaret absolutissime, postea si quid otii reliquum fieret, id omne in geometricas speculationes impenderet. Vix autem elapsis octo mensibus satis superque probatus, multo cum animi fervore in Monasterio S. Michaelis solemni ritu votis se obstrinxit. Tum vero quietem & secessum, quem tamdiu exoptaverat, nactus, totos solidos dies in meditatione curvarum, & calculis Analyticis insumebat, postquam ea quæ ad pietatem pertinent accuratissime implevisset. Inter primos enim Italorum fuit, qui in compendiosum quidem, sed æque salebrosum & asperum hunc callem se inducere ausi sint, quando nempe nova ac recondita hæc methodus ab iis ipsis, qui

in

in exteris regionibus eam invenerant, sive auxerant, impenetrabili mysterio ita tegebatur, ut præstigio propior, quam scientiæ videretur. Sub finem anni MDCCXXVII. Patavium concessit, ut studia sua communicaret cum duobus Geometriæ veluti luminibus, quos nec nominare fortassis opus fuerit; omnes enim facile intelligent March. Polenum & Com. Riccatum, a quibus singulares cuique observationes & feliciora inventa excerpere destinaverat. Ibi alios quoque præstantissimos celeberrimi illius Collegii Professores, inter quos præcipue Rivam, audiebat sæpissime, & officiose prosequebatur. Sed neminem unum observavit magis coluitque quam Com. Riccatum, ad quem in Francorum castro agri Tarvisini oppido degentem sæpius commeare solebat, non aeris inclementia, non imbribus, aut difficultate viarum unquam deterritus. Imo etiam eo loci hospitium conduxit, quo commode magis liberiusque tanti viri cosuetudine uteretur.

Quin etiam, ubi ſuborta eſſet aliqua difficultas, eum per litteras interrogabat, quod poſtea etiam continuavit cum doctiſſimo ejus filio Com. Jordano, cujus judicium plurimi faciebat. Eo ipſo tempore mechanicas Inſtitutiones, quibus motuum leges adhibito infinitorum calculo inveſtigavit, elucubratus eſt, quas ſi in publicum ſtatim emiſiſſet, non profecto alii multi, qui poſtea ſecuti ſunt, hunc gloriæ campum, quaſi a poſſeſſore vacuum, occupaſſent, & Ramiro hanc laudem præripuiſſent. Nec eſt cur dubitari poſſit nos præpoſtero officio velle per commenta hoc decus Rampinellio aſſerere; extant enim adhuc ejus ſcripta cum notis temporum; & tot hujus rei teſtes adhibere poſſumus, quot auditores ſequentibus proxime annis Bononiæ habuit. Quin hoc etiam ſatis erui poſſet ex litteris ejuſdem Non. Jan. anno MDCCXXIX. ad laudatiſſimum Jacobum Riccatum miſſis. Tractatum vero Trigonometriæ tam planæ, quam ſphœricæ, qui pariter lu-

cem

cem expectat, ingenue fateor me non habere cur huic tempori præcise adscribam. Sed Rampinellio id Patavii jucundissimum accidit, quod Mazino primo magistro suo, tum quidem ad primariam Medicinæ Theoricæ cathedram evecto, beneficium referre potuit. Etenim hunc in calculis Analyticis implicitum, hærentemque extricavit, & ut gratissimo erat animo, ea omnia huic tribuit, ut non solum ab alumno, sed nec plura a parente proficisci potuerint. Extra autem hujus scientiæ fines frequentissime audiebat, colebatque clarissimum Lazarinum admirans in eo homine latini sermonis puritatem, quam tunc quidem sentiebat potius sibi deesse, quam unquam tentasset aut retinere, aut acquirere. Tum vero cœpit diurna, nocturnaque manu optimos aurei ævi scriptores versare, & stilum ad eorum imitationem castigare, & subigere, cujus quidem laboris uberem fructum postea tulit. Ineunte deinde vere anni MDCCXXXI. Romam profectus innotuit statim doctissi-

mis

mis viris Galliano & Leprotto, apud quos famam, quam de se absens excitaverat, præsens auxit. Nec conspiciendis veterum monumentis, quorum caussa præcipue in urbem venerat, adeo indulsit, quin multum temporis dilectis suis studiis seponeret, imo eo anno, quo Romæ moratus est, illustrem auditorem habuit, eumque Mathematicis disciplinis optime instituit, Josephum nempe Orlandum Ord. S. Cœlest., quem postea in regio Neapolitano Archigymnasio Professorem, ac demum Episcopum vidimus. Dum Romæ adhuc ageret, & tot Urbis urbium pulcherrimæ seu vetera, seu recentiora ædificia lustraret, abjecto jampridem rei militaris studio, cujus nullum fore sibi usum viderat, curas suas transtulit ad civilem Architecturam. Brevi in hac quoque parte non mediocrem peritiam adeptus est, nam cujuscumque ordinis modulos & ornatum ita callebat, ut primo fere obtutu deprehenderet si quæ membra a præceptis artis, aut meliorum o-

pi-

pificum monumentis vel tantillum aberrarent. Neapolim postea adiit, ibique doctiorum virorum amicitiam iniit, & in primis celebris Nicolai Martinii, cujus benevolentiam summopere sibi devinxit. Cum igitur doctrinas, quas undequaque collegerat suis in dies meditationibus augeret, fama ejus nominis ad moderatores suæ Congregationis pervenit, iique ad instituendos Mathematicis disciplinis Monachos, eum Bononiam revocarunt. Nec spem fefellit eventus, siquidem ex frequenti selectissimorum juvenum auditorio, veluti a quodam Geometriæ seminario complures prodiere qui hisce studiis Bononiæ non leviter initiati, & postea late per totam fere Italiam distributi, hanc scientiam veluti novam mercem remotis regionibus intulerunt, aliosque subinde ad eam colendam excitarunt. Sed inter alios longe eminebat nobilissimum illud auditorum par, Pozzius scilicet & Sommariva, quorum si nomina hic reticerem, male me laudibus Rampinel-

nellii consuluisse ac prospexisse existimarem. Eorum enim alter Romæ in publicis Sapientiæ scholis Mathesin summo cum plausu interpretatur, alter vero æque feliciter eodem munere fungitur Bononiæ apud suos, de se in dies majora promittens. Sinant igitur duo hi præstantissimi viri nomen suum in elogium Rampinellii, ceu eorum tesseram, symbolamque a me conferri, nec longinqui, ac plane ignoti hominis leve hoc de eorum meritis pro re nata testimonium velint deprecari. Cæterum a Bononiensibus, apud quos magnum sui desiderium discedens antea reliquerat, cupidissime rursum exceptus est. Hic Physicas institutiones perfecit, in quibus & universam pene Physicam eidem infinitorum calculo subjecit, & ea, quæ prius de motus legibus commentatus fuerat, inseruit. Jamque doctissimorum civium, qui frequentes ad eum conveniebant, colloquiis fruebatur, jam innotescere quoque, & coli cœperat apud exteros, qui non levem jacturam se facere

pu-

putabant, si illo inviso præterirent, jam denique inclyta illa Urbs acerrimo in æstimandis ingeniis judicio, quo arctius Rampinellium sibi obstringeret, publicum ei munus destinabat, cum repente eorumdem Moderatorum jussu illam derelinquere coactus est invitus invitam. Ob eamdem caussam, qua Bononiam adierat, Mediolanum an. MDCCXL. transfertur, eo scilicet eorum, qui id curaverant, consilio, ut ejus doctrina latius emanaret, & ad plures diffunderetur. Quadam vero felicitate factum est, ut eo tempore Mediolani quoque ageret præstantissima, & per totam Europam celeberrima illa Virgo Cajetana Agnesia non minus morum integritate, quam ingenii acumine maxime commendanda; & quam jure quidem appellaveris nostrorum temporum, & sui sexus ornamentum. Hæc puellari adhuc ætate Mathematicis studiis non mediocriter imbuta fuerat ab Abb. Tagliazucco, quem postea Sardiniæ Rex ad publici Professoris munus evexit in Regio Lyceo

Augustæ Taurinorum. In rebus autem philosophicis audiverat celebrem Andream Casatum Cl. Reg. qui pariter ab eodem Rege eodem in Archigymnasio ad aliam Cathedram nominatus est, & deinde Pontificalibus quoque infulis decoratus. Verum cum præclarissima Virgo incredibili rapiditate, quodcumque vellet, addisceret, & simul cupiditate inexplebili plura discendi flagraret, cumque ad altiores speculationes in dies semper assurgeret, statuit demum Rampinellium ad se vocare, cujus ope & consilio sese ab abstrusissimis difficultatibus explicaret. Ille nactus promptissimum hoc ingenium, quod adeo excitari non egebat, ut retineri vix posset, brevi ad summum Algebræ apicem perduxit. Hinc eo præeunte prodiit Mediolani anno MDCCXLVIII. celebratissimum illud opus Institutionum Analyticarum, cujus quam partem vindicare sibi posset Rampinellius per ipsum quidem adhuc in occulto foret, nisi modestissima æque ac doctissima Virgo summa

cum

cum grati animi ſignificatione id omnibus teſtatum in præfatione voluiſſet. De hujus autem libri pretio poſt luculentiſſimum, quod de eo edidit teſtimonium Regia Scientiarum Academia Pariſienſis, ſupervacuum ſane foret, ſeu potius ridiculum, & ineptum velle aliquid adjicere. Præſtantiſſimi enim ac doctiſſimi Socii, qui ab inclyto illo cœtu ad inſpiciendum librum ſelecti fuerunt, Mairanus ſcilicet & Montignius una cum Fouchio a ſecretis in elogio, quod typis excuſum eſt anno MDCCXLIX. diſertiſſime teſtati ſunt, nullum adhuc apud quaſque nationes usque ad hæc tempora opus in eo genere omnibus adeo numeris abſolutum prodiiſſe. Hæc ego, ne de ſingulari ac lectiſſima hac femina deque ejus libro narrationem abrumperem, huc uſque perduxi; cæterum antequam liber evulgaretur, commotus jam Rampinellii fama Senatus Mediolanenſis anno MDCCXLVII. ei publicum Matheſeos docendæ munus in Ticinenſi Lyceo ultro obtulit, quin ipſe inter

can-

candidatos nomen ſuum de more profite- retur. Acceſſit huic graviſſimo ampliſſimi Ordinis judicio aliud ſingulare beneficium; nam ei duplicavit ſtipendium, & facultatem dedit, ſeu libros, ſeu inſtrumenta, quæ ſuis ſtudiis uſui forent, ære publico comparandi. Solemni hoc decreto ex ſuis latebris in publicam lucem extractus id unum in primis laboravit, ut ne tam gravi judicio impar, ut ne tanti beneficii immemor videretur. Cæterum de prima vitæ conſuetudine nihil detraxit, aut immutavit, æque ac prius acceſſu facilis, eadem, qua antea, modeſtia, ac pene puellari verecundia, ſumma erga Collegas reverentia, nulla adverſus quemque æmulatione, aſſidue ac diligentiſſime omnes muneris ſui numeros implebat. Incredibili profecto erat erga Auditores humanitate ac patientia; ſicubi enim quem paulliſper aliquando hærere ſenſerat, eum ſtatim adibat, & ſumma cum comitate difficultates extenuando ita recreabat, ut nonnullos ego noverim, qui

hu-

hujus scientiæ asperitate deterriti animum desponderant, & retro jam cedere destinaverant, quos ille adeo fovit, & in spem meliorem erexit, ut feliciter postea hunc cursum, nec sine plausu confecerint. Quamobrem non semel ab eo audivisse memini, sæpe illum sibi ingenium torsisse, ut diversas eamdem veritatem docendi methodos excogitaret, quas quisque sibi temperaret pro ingenii sui modo, atque accommodaret. Verum hæc studia non in umbra tantum coluit, sed in campum, pulveremque eduxit. Nam Parpanensi prædio in ultima ora agri Mediolanensis sito, magno in periculo versanti, quippe cujus ædibus & campis Padus minaciter immineret, opem tulit. Ibi non solum adversus vim fluminis, quod objectis molibus, aggeribusque difficulter compescuit, sed adversus etiam accolarum imperitiam, & detrectationes diu est conflictatus. Cum enim noster crates viminibus contextas apte disponendo rem conficere instituisset, illi vero munimen-

ta ſumptuoſis arborum, trabiumque contignationibus inſtaurari de more contenderent, nihilque aliud facere aut ſcirent, aut vellent, quam quod ſemper feciſſent, ægre admodum evicit, ut totius rei gerendæ modus arbitrio ſuo permitteretur, ipſi porro mandata non abnuerent. Imo non levem habuit cauſſam ſuſpicandi, aliquos ex grege operariorum, ut eſt contumax iſtorum hominum ingenium, adeo iniquæ mentis fuiſſe, ut opera, quæ ipſe præſcripſerat, conſulto vitiare & corrumpere tentaverint. Senſit invidiam novorum aggerum Rampinellius, ſimulque fraudem & dolum, ſi forte ſubeſſet, veritus, ſtatuit præſens inſtare operi, attentiuſque incumbere ut omnia ſuis oculis ſubjicerentur, quod dum conſtantius exequitur in paludoſo ſolo & graviore aere, fortaſſis tum jacta ſunt ſemina illius morbi, quo poſtea correptus eſt. Sed aliqui etiam ex fundorum dominis, qui prope flumen prædia poſſidebant, fidem Rampinellio non adhibuerunt, ſuoque ſibi in-

ge-

genio ac more munimenta ſtruxerunt; qui poſtea magno quidem ſuo malo ſenſere, quam injuria ab illius monitis & ſententia defeciſſent. Siquidem primo aquarum incremento ea opera omnia disjecta & avulſa Padus ſecum abſtulit, uti eventurum noſter paullo ante prædixerat. Extant in Ticinenſi Monaſterio ejus commentarii, in quibus videre poſſis, quomodo non ſolum præſenti periculo cavit, ſed futuræ etiam ſecuritati proſpexit, quaſque ille regulas in extruendis, collocandiſque molibus præſcripſit. Eæ etiam nunc multo cum ſucceſſu ſervantur ab inſigni Machinatore Gottardo Jornio ejus diſcipulo & talium rerum peritiſſimo, ut plane his in ſcriptis, & hoc in alumno vivere adhuc Rampinellius, aggeres moliri, & infenſiſſimum hoſtem jugulo illius populi imminentem arcere adhuc & depellere videri poſſit. Sed alias quoque ſelectiſſimas obſervationes collegerat, ex quibus utiliſſimi tractatus conficerentur, quos ne in lucem emitteret nimia eum

modeſtia aliquando, demum mors immatura prohibuit. Quoties enim urgeretur, ut aliquid typis evulgaret, per luſum dicere ſolebat, dum nihil ſcriberet ſe præclare conſulere commodis litterariæ ſocietatis, quæ aliter conſtare non poſſet, niſi aliqui a ſcribendo manus abſtinerent: quando nempe omnes de omnibus pene rebus ſcribunt, periculum fore, ne ſcribentium nimia multitudo extremam faciat legentium caritatem. Nihilominus vim modeſtiæ ſuæ intulit, ut debitum perſolveret, ſcilicet ut Senatui, a quo ita ornatus, auctuſque fuerat, cultum, & obſequium ſuum teſtaretur, & gratias, quas animo habebat, publice etiam aliquo modo referret. Igitur ipſum de Optica tractatum ſub auſpiciis ampliſſimi Ordinis emittere deſtinavit, & editionem jam adornabat, cum graviſſimo apoplexiæ morbo laborare ita cœpit, ut pene conclamatus fuerit. Poſt aliquot menſes remiſſa vi morbi, ut magis convaleſceret, in patriam rediit. Hic abjectis omnibus curis

vi-

vires refecerat, & priſtinam fere animi & corporis alacritatem reſumpſerat, cum Mediolanum reverſus VI. Id. Feb. anno MDCCLIX. repetito ejuſdem morbi ictu extremum diem obiit. Antequam moreretur Clar. Viro Cæſareo Sommarivæ enixiſſime commendavit editionem hujus operis, cum & opus ipſum ejus judicio jam antea ſubjeciſſet. Eodem conſilio ſub vitæ finem, dum Brixiæ adhuc moraretur, de hac re cum Typographo egerat, & quo omnia accuratiſſime fierent oraverat Clar. Virum Joannem Baptiſtam Scarellam Cl. Reg. doctrina & ſcriptis celebrem, ut typis emendandis præeſſet; quam quidem operam, eo quo eſt erga Auctorem, & hæc ſtudia animo, ſumma cum diligentia, ac ſolertia fideliter navavit. Fuit Rampinellius eximia erga Deum pietate, integerrimis moribus, ſumma ingenuitate, atque animi candore prope ſingulari. Uſque ad ſexageſimum ætatis annum, quo eum primus apoplexiæ ictus adflavit, & pene adflixit, valetudine proſperrima uſus

 eſt;

eſt; nam vel levibus morbis rariſſime fuit tentatus, licet cibi, ac potus, citra tamen intemperantiam, foret aliquantum largioris. Pertinaciſſimum enim tot annorum ſtudium, tot vigilias, quæ ſæpe alios labefactare, aut conficere etiam ſolent, athletica ille quadam corporis firmitate facile tolerabat. Sed id præcipue mirandum, quod cum ſeptem, aut octo horarum jugi contentione in extricandis complicatiſſimorum problematum difficultatibus inſudaſſet, redibat poſtea in conſortium amicorum ea animi tranquillitate, ea vultus ſerenitate, ac ſi ludicro alicui ſpectaculo interfuiſſet. Nemo Ramirum vidit triſti ſupercilio, nemo contumaci ſilentio hæc ſtudia præſeferre. Cum enim manum a tabula levabat, & libros claudebat, videbatur ſpeculationes ſuas in iiſdem libris clauſiſſe, & veluti a ſe ipſo diviſus Geometram in ſcripta ſua relegabat, ut amicis amicum redderet: in hoc etiam celeberrimo Newtono comparandus, qui cum eſſet Rei Monetariæ apud

An-

Anglos Præfectus ita alacriter munera summi illius Magistratus obibat, ut nemo ex suis collegis eum tunc præ manibus habere altissimum illud systema, quod postea prodiit, vel leviter posset suspicari. Verborum equidem a natura fuit parcior, sententiis brevioribus, & ad rigorem geometricum exactis, quem tamen fere semper comitate, jocis, ac salibus temperaret. Postquam Geometriæ se totum devoverat, de Theologicis suis studiis ea solum retinuit, quæ ad excitandam, fovendamque pietatem conferrent; cæterum a quæstionibus, quæ inter nostros etiam studio partium acriter sæpe agitantur, religiose abstinuit, ita semper compositus, ut in neutram partem conspici posset, quamvis ab omnibus præsidiis esset paratus & instructus, quibus posset & subtiliter disputare & recte judicare. Iisdem principiis imbuit circumspectissimam Agnesiam, de qua supra retuli; nam hæc quoque in conventibus nobiliorum Feminarum, quæ intemperantia seu sexus, seu

temporum hisce disputationibus frequenter se immiscere solent, semper aut eleganti aliquo temperamento hujusmodi sermones alio deflexit, aut gravissimo silentio filum disceptationis abrupit. De se, deque rebus, ac studiis suis atque honoribus sibi habitis nunquam nisi coactus, & tum quidem verecundissime loquebatur; alios vero ubi occasio ferret pro meritis æquissima dispensatione semper ornavit, tam procul a fastidio & contemptu, quam ab æmulatione & malignitate. In hoc doctis certe exemplum proposuit, quod si qui moderatione animi eo usque pervenerint, ut famam sui non affectent, aut negligant, id quoque addere velint, ut nec alienæ invideant, detrahantque. Verum omni elogio maior in hoc viro laus constantis ac perpetuæ modestiæ fuit; nam licet ultra Geometram varia ac multiplici eruditione ornatus & excultus foret, numquam tamen nec apud exteros, nec inter amicos, ree-

etiam

etiam ubi res opportune cesserat ingenium, aut doctrinam ostentavit. Ita sæpius evenit, quod ait Tacitus de Agricola, ut plerique, quibus magnos viros per ambitionem æstimare mos est, viso, aspectoque Rampinellio quærerent famam, pauci interpretarentur. Singulari etiam fuit erga matrem pietate, quam viduam & senio confectam (marito enim diu superstes fuit) ut præsentia sua solaretur, fere quotannis autumnali tempore Mediolano Brixiam ventitare solebat, posthabitis amicis, quorum consuetudine cæteroquin mirifice delectabatur, & relictis amœnissimis tot Procerum Mediolanensium villis, ad quas studiose & enixe erat invitatus. Gratia vero, qua apud eosdem Proceres plurimum valebat, numquam aliter, quam in juvandis tegendisque amicis, usus est. Denique is ille fuit, quo haud facile virum magis probum, raro profundiorem Geometram, meliorem vero amicum vix inveneris. Hæc habui V. C. quæ, ut volun-

luntati tuæ obſequerer, de Rampinellio ad te ſcriberem. Nec diſſimulaverim me libentius multo, quam inchoaveram, hæc proſecutum fuiſſe eo animo, ut Civitatis noſtræ decus pro re nata & pro viribus quodammodo vindicarem. Paſſim ſcilicet ut craſſioris Minervæ homines traducimur, & ſæpius apud exteros audimus, quod de Thebanis olim dictum fuit, nobis nempe plus virium ineſſe, quam ingenii. Mihi vero cauſſas opinionis tam parum æquæ inveſtiganti non aliæ occurrunt, niſi quod partim noſtrarum rerum & laudis civium noſtrorum incurioſi ſimus, partim quod modeſtia, quæ in Rampinellio fuit ſumma, univerſim etiam noſtræ gentis ſit propria. Ego ſicut inſtitutum & induſtriam illarum civitatum ultro laudaverim, quæ rebus ſuis etiam exiguis pretium addunt, dum eas in lucem proferunt, illuſtrant, atque accuratiſſime concinnant, ita æquo animo ferre non poſſum, nos inclementer nimis ignorantiæ damnari, quod no-
ſtras

ſtras ambitioſe non efferamus. Utcumque tamen alii ſentiant, id unum in præſentia intelligi velim, nobis potius artem, aut ſtudium, quibus noſtra ornemus, quam ea, quibus ornemur, deeſſe. Vale V. C. & me tui obſequentiſſimum amare perge.

Brixiæ prid. Kal. Junii an. MDCCLX.



GUI-

GUIDO GRANDIUS X.

Uido Grandius Cremonensis fuit sine dubio vir omni doctrina, ac præsertim mathematica ornatissimus; de quo plura fortasse referremus, nisi extaret de ejus vita singularis liber a Benedicto Hortesio ejus discipulo diligentissime, copiosissimeque Italico sermone conscriptus. Etsi pater ejus Petrus Martyr honesto genere erat, tamen, cum alienarum opum indigeret, phrygioniam exercuit artem; habuitque in Matrimonio Catharinam sororem Laurentii Legati, quem Græcis litteris, Medicina, Poetica, editoque in Museum Cospianum opere illustrem virum honoris caussa nomino. Guido iis parentibus natus est Kal. Octobr. anno MDCLXXI. Diligentia præsertim Matris bonæ, nec mediocris ingenii feminæ fuit a puero doctus Latinis litteris & in arte poetica exercitatus; magistris vero usus est Jesuitis Paullo Rossio

&

& Hieronymo Saccherio, qui fuit mira quadam facultate ingenii & memoriæ, & Jo. Baptiſta Canneto viro omni genere laudis excellenti, quem collegam etiam habuit in ſodalitate Camaldulenſium. Hanc enim Grandius ingreſſus eſt Ravennæ exeunte anno MDCLXXXVII. Doctus ibi a Galaminio ad Peripateticorum philoſophiam, haud poterat in ea acquieſcere adoleſcentis animus, qui ex veritate, non ex opinione, auctoritateque omnia metiebatur: quare, ut hujuſmodi Philoſophiæ aſperitatem quaſi condimento amœnitatis mitigaret atque molliret, ſæpe ſe ad ſtudia poetica atque oratoria referebat. Atque in his ſtudiis quantum profeciſſet, cum deſiderio arderet oſtendendi moderatoribus ſuis, ab his obtinuit, ut novam inſtituere poſſet Academiam (erat enim alia inſtituta a Canneto ad eaſdem artes excolendas, ad quam tyronibus Cœnobii erat aditus interclusus) quæ quod æmula eſſe volebat alterius laudum, dicta eſt *de' Gareggianti*. Legi libellum, quem
de

de hujus Academiæ hiſtoria Grandius ipſe conſcripſit, ex quo intelligere potui ſæpe in ea lumen ingenii ſui eumdem oſtendiſſe modo Italicis, modo Latinis carminibus orationibuſque, judicatumque de eo fuiſſe, ſeria docte eruditeque, jocoſa lepide ſemper ipſum tractaſſe. Ex hac Academia binas alias generatas accepimus; haſque omnes, quoad ſtetere, laudabili æmulatione inter ſe concertaſſe. Neque hæc ſolum glorioſa Grandio fuere, ſed illud etiam in primis, quod inter erroris & inſcitiæ caliginem, qua humaniores litteræ ſuperiori ſæculo miſere obruebantur, ipſe ad optimorum ſcriptorum tanquam lumen, ac lucem reſpexerit, & alios, nonnullis licet reclamantibus, indignantibuſque, reſpicere docuerit. Idem Romam miſſus ad excolenda rerum divinarum ſtudia perferre debuit & Scholaſticorum & Galaminii, a quo inſtruebatur, inſulſitatem. Quidquid vero temporis illi vacabat a ſchola in evolvendis veteribus monumentis libentiſſime inſumebat;

bat; nec facile quem dixerim, plus ſtudii acuminiſque, quam illum ad originem, omnemque hiſtoriam ſuæ ſodalitatis cognoſcendam adhibuiſſe. Quaptopter cohortante maxime Canneto & Martyrologium Camaldulenſe conficere, & S. Romualdi vitam a S. Petro Damiano conſcriptam, copioſiſſimis commentariis Monachorum hiſtoriam in primis illuſtrantibus, ornare facile potuit. Sed horum ſtudiorum fructus maximi fuere *Diſſertationes Camaldulenſes*, quem tamen librum non edidit niſi an. MDCCVII., quod illum & limari politius & probari doctiſſimorum hominum judicio, antequam ederetur, voluit. Quæ quidem judicia non tam grata, quam neceſſaria erant. Magna enim conſtituta & parata erat Grandio adverſaria, credulitas ſuorum, qui, cum primordia ſodalitatis auguſtiora facerent, non tuliſſent, non dicam refelli, ſed in dubium revocari quædam, quæ opinioni ſuæ blandirentur. In his viſum illud Romualdo divinitus objectum Scalæ neſcio cujus; alia præterea ejus-

ejusdem modi, quæ poeticis magis decora fabulis, quam incorruptis testata rerum gestarum monumentis feruntur. Hæ dissertationes, quarum prima est *de Institutione Ordinis Camaldulensis*, altera *de ætate S. P. Romualdi*, tertia *de visione scalæ ejusdem & habitus mutatione prætensa*, quarta demum *de S. Petri Damiani & Avellanitarum Instituto Camaldulensi*, principium esse debebant annalium totius familiæ Camaldulensis, ad quos contexendos tum sua sponte, tum aliorum cohortationibus incitabatur Grandius. Sed ab hoc opere illum avocarunt non tam injustæ suorum querelæ, quam flagrans in res mathematicas amor, ac prope incredibilis, ab iis profectus initiis, quæ ad hactenus dicta adtexemus. Postquam an. MDCXCIV. in sodalitatis comitiis subiisset majorum suorum judicia, allatis in medium, publiceque propugnatis ex universa Theologia, ac Philosophia thesibus, in quo ita se gessit, ut nescias, plures ne delectaverit mirum propugnatoris ingenium,

nium, an offenderit non bene ab illo declaratum in Peripateticos, Scholasticosque studium, Florentiam missus est ad tradendam suis Philosophiam. Ibi casu magis, quam judicio sumpsit in manus Cartesii opus, quod de *Principiis* inscribitur. Incensus cupiditate omnia perfecte tenendi, quæ in hoc opere continentur, dedit se in Geometria instituendum Sebastiano Franchio, quo medico & amico utebatur Franciscus Caramellius Cœnobii Præses. Ita celeriter Euclidis elementa arripuit Grandius, ut ea non tum primum ediscere videretur, sed reminisci & recordari. Quare minime est mirandum, si ei Franchius prædixerit fore aliquando ipsum longe omnium in mathematicis doctrinis principem. Porro eo brevi pervenit Grandius, ut non solum celebriorum Geometrarum inventa per se noscere, sed nova etiam ex se gignere potuerit, inter quæ nonnulla theoremata fuerunt de Concoidibus, & Cissoidibus, quæ etiam postquam omnem ætatem in hujusmodi studiis con-

ſumpſerat, ſibi perplacuiſſe affirmavit. Eodem tempore elaboravit etiam, ut opus quod ante quinquennium fecerat de Muſica, Geometria duce, poliret atque perficeret. Totum illud XXIV. propoſitionibus concluſit, qua circumſcriptione nihil elegantius & ingenioſius; neque id tamen ſatis unquam dignum putavit, quod in lucem hominum prodiret. Hæc quoniam occulta & abdita intra cœnobii parietes erant, caſus incidit, quo brevi illuſtris & pervagata fuit fama de Grandii doctrina apud Florentinos. Accitus Florentiam fuerat nobilis quidam Germanus cognomine Bodnauſenius, ut ab eo Ferdinandus Magnus Etruriæ Princeps in doctrina morum inſtrueretur. Is, ut erat in Analyſi, cæteriſque mathematicis diſciplinis non mediocriter verſatus, quæſivit illico, quoſnam haberent in iiſdem diſciplinis præſtantes viros Florentini? Cum audiiſſet unum inter omnes excellere Vivianium, convenit hominem illud rogitans, ut ſibi punctum flexus in Concoide primaria inveniret. Non

in-

invenit, sua synthesi usus, Vivianius, quod cum relatum esset ad Grandium, quid ipse posset, voluit experiri. Eventus ei ex sententia processit; neque est credibile ad quantam admirationem hæc res Vivianium, Bodnausenium, cæterosque rerum mathematicarum intelligentes viros traduxerit. Quæ non multo post quam acciderant, adivit Grandius Vivianium, quo ei solarium a se confectum ostenderet, rogaretque ab illo ut nascenti prope laudi suæ, doctrinæque præesset. Ridens Vivianius manu prehendit Grandium. Heus tu, inquit, ducem & magistrum desideras? Non mihi docendus, sed collaudandus videris, quod tantam jam sis facultatem adeptus, ut non æqualibus modo tuis anteponi, sed cum exercitatissimis viris possis comparari. Hujusmodi testimonio maxime stimulatus atque excitatus fuit Grandius ad prodeundum in publicum. Prodiit autem primum edita anno MDCXCIX. *Geometrica Demonstratione Vivianeorum Problematum &c cum appendice de Geometrica Quadratura*

 in-

infinitarum partium curvæ superficiei conicæ. Res nota est & pervulgata Vivianium, ut irrideret credo analysis studiosos, quæsiisse ab iis *formam Testudinis Hemisphæricæ, sed quatuor æqualibus ac similibus, similiterque positis fenestris ita interruptæ, ut his detractis reliquum hemispæricæ superficiei sit absolute quadrabile;* & extitisse Leibnitium, qui eodem die, quo accepit hujusmodi ænigma (sic enim appellabatur a Vivianio) illud ipsum non uno, sed plurimis modis, suo usus calculo solvit. Postquam hæc acciderunt, Vivianius edidit *Exercitationem mathematicam de formatione & mensura fornicum*, qua non solum commemoratum problema elegantissime solvit, sed de aliis quoque fornicum generibus multa sane curiosa in medium attulit. Hanc exercitationem Grandius Latinam fecit, & in eam permulta addidit de suo, cum demonstrasset, Cavalerii methodum indivisibilium adhibens, omnia ea, quæ Vivianius tantummodo proposuerat. Addidit quoque appendicem, in qua de forni-

nicibus agens conicis demonstravit, *quamvis portionem superficiei Conicæ rectæ esse ad portionem basis per cadentes a singulis punctis sectionis in subjectum planum perpendiculares, ichnographice determinatam, ut latus coni ad radium basis*; quo innixus theoremate docuit, quonam modo in fornice conico fieri debeant fenestræ cum parabolicæ, tum hyperbolicæ, sic, ut quod superest quadrari possit. Hujusmodi testudines Vivianii exemplum secutus, qui novum suum velum *velum florentinum quadrabile nuncupavit*, *tentoria*, *seu tabernacula Camaldulensia quadrabilia* appellavit Grandius. Num autem ipse de se vere prædicaverit primum omnium dimensum fuisse ac descripsisse hujusmodi testudines, ii facile judicabunt qui allata a Grandio conferent cum iis, quæ in acta Eruditorum Lipsiensium an. 1696. (1) intulit mathematicus summus Jo. Bernoullius. Jure sæpe questus sum de Religiosis familiis, quod si quem inter suos inveniant, cui solers, ac provida mater natura digito

fere monstraverit, ut Grandio certe monstravit, quod tenere debeat iter, in disjuncta ac etiam contraria sæpe illum detrudant atque compingant. Dum igitur Grandius Florentiæ elaborabat, ut perfectus Geometra evaderet, missus Romam fuit ad tradendam suis rerum divinarum scientiam. Impositam Theologi personam ita sustinuit, ut non abjecisse illam Geometræ ostenderit. Quapropter frequentissime versabatur cum Dominico Quartaronio alisque celebrioribus Mathematicis; tantum dabat Geometriæ non solum, sed etiam Analysi temporis, quantum scholæ superesset, & ipsas interdum theologicas quæstiones illustrare se melius posse arbitrabatur, si iis Geometriæ lumen addidisset. Sic cum de Visione Dei ageret, ut unam rem ex. g. ponam, exponebat discipulis suis animadversa a sese de seriebus decrescentibus, harum symptomata spatiis hyperbolicis comprobans. Mansit Romæ Grandius ad Octobrem usque an. MDCC., quo tempore, commendatione maxi-

xime Cardinalis Norisii, in Pisana Academia extraordinarius Philosophiæ Doctor declaratus est. Ea quæ docuit non multum a Cartesianorum disciplina abhorrebant; & quamvis non ignoraret etiam, quæ alii Physici & Galileus in primis tradidissent, non tamen multus in iis erat, quod hujusmodi studia non plane ingenio suo satisfacerent. Quapropter non dubitaverim Grandium Neoptolemo illi assimilare, quem Cicero apud Ennium dixisse narrat: *philosophari sibi necesse esse, sed paucis; nam omnino haud placere*. Studia, quæ ducebant inflammabantque Grandium, ea ferme erant, quæ ad Mathesin spectarent: neque enim poterat tale ingenium, nisi in explorata veritate, adquiescere. Illa se provehere arbitratus est, si proprietates Logisticæ, seu Logarithmicæ lineæ ab Hugenio extrema in dissertatione *de caussa gravitatis* propositas, minime vero demonstratas, ipse pluribus modis demonstrasset; quod cum felicissime præstiterit homo ingenio prudentiaque acutissimus, nemo existimabit

rem mediocris ipsum præstitisse laudis, ac gloriæ. Vere enim Galileus: *Longe sublimioris ingenii est alieni Problematis enodatio, aut ostensio Theorematis, quam novi cujuspiam inventio. Hæc quippe fortunæ in incertum vagantibus obviæ plerumque esse solet; tota vero illa, quanta est, studiosissimam attentæ mentis in unum aliquem scopum collimantis ratiocinationem exposcit.* Nemo est, qui ignoret theoremata illa ad Logisticam pertinentia magnos usus attulisse Hugenio ad explicandum motum corporum in resistenti medio, sive manu projiciantur, sive proprio pondere ipsa descendant. Sed Grandius, quamquam videbat si ea theoremata solverentur, magno Physicis usui fore, non tamen Physici partes agere voluit, præsertim cum dissentiret (& jure quidem) ab Hugenio, qui in ea erat sententia, resistentias mediorum crescere eadem ratione cum velocitatibus corporum Continuit ergo se finibus Geometriæ: neque sola theorematum demonstratione industriam definivit suam: multa præterea

eam

eam occaſionem nactus in medium attulit, ex quibus ea lectori ſeponam, quæ ſcriptoribus Lipſienſium Actorum magis videntur placuiſſe. Ac primum quidem rationem tradit univerſe inveniendi tangentes, easque exhibet ſingulatim omnium hyperbolarum, parabolarum, infinitarum ſpiralium, concoidum varii generis, aliarumque curvarum, nec non expanſæ ungulæ cylindricæ, immo omnium ungularum, etiam ex cylindro non circulari abſciſſarum. Ad hæc dimenſionem geometricam exponit infinitarum parabolarum, hyperbolarum, ſpiralium, etiam geometricæ, cycloidis, variorumque illius ſegmentorum, ciſſoidis, & ejus ſegmentorum, tractoriæ, itemque ſolidorum ex hemicycloide circa tangentem verticis, & ex cyſſoide circa aſymptoton, vel ei ex vertice parallelam revolutis, genitorum. Rationem quadrandæ hyperbolæ per tractoriam docet. Oſtendit aggregata quotlibet terminorum geometrice proportionalium ad eamdem ſeriem pertinentium, ſi ſemper a minimo

ini-

initium fiat, esse inter se, ut differentiæ sunt terminorum maximi, & minimi; magnitudines incommensurabiles per ablatam quantitatem qualibet data minorem fieri posse commensurabiles; cujusvis figuræ convolutæ, ejusve partium ad circumscriptum sectorem, & ejus zonas eamdem proportionem esse ac conoidis ab evoluta figura genitæ ejusve partium ad circumscriptum cylindrum, tubosque cylindricos; spatium a curva quavis contentum linea, vel unamquamque ejus partem, æquari spatio, quod subtangentes implent ad curvam ipsam, vel respondentia basis puncta applicatæ; solida omnia ex infinitis Logisticæ spatiis esse, ut quadrata sunt radiorum basis, & portiones, ut differentiæ inter quadrata extremorum radiorum; cujuscumque logisticæ spatium & subtangentem tam esse utrumque alterius submultiplex, quam submultiplicata ordinatarum ratio. Nec declarare prætermittit, quænam sit ratio conoidum ex infinitis parabolis ad circumscriptos cylindros, vel co-

conos, item ex infinitis hyperbolis ad inſcriptos cylindros, & fuſi cycloidalis ad cylindrum. Oſtendit etiam ſpatium hyperbolicum æquari rectangulo ex ordinata in alteram Logiſticæ ſubtangentem. Regulam proponit generalem, ex qua cognoſci poſſit, quando ſpatia infinite longa, aut infinitæ terminorum ſeries finitam æquent quantitatem, quando infinitam. Docet ſpatia logiſtica ratione data dividere; hyperbolam, quæ logiſticam non modo datam, ſed etiam in dato puncto tangat, ducere; eidem logiſticæ, immo figuræ cuicumque, data eius tangente, maximum parallelogrammum inſcribere. Diſtantiam inter centrum gravitatis trilinei cycloidalis, atque tangentem verticis dimidio radio æqualem demonſtrat. Definit diſtantiam centri gravitatis ſemicycloidis, & ejus trilinei a baſi, & a vertice, cyſſoidalis ſpatii ab aſymptoto una cum centris gravitatis diverſarum conoidum. Oſtendit demum, quomodo inveniatur centrum æquilibrii in libra longitudinis infinitæ, pon-

de-

deribus Geometrice decrescentibus, & æque distantibus onerata. Quæ dum omnia tractaret, plurimum usus est lineis illis curvis, quas *Correlatas* vocavit, quarumque se inventorem putabat. Nec immerito. Nam quamvis earum antea indicia dederint Robervallius, atque Jacobus Gregorius, nondum tamen ad ejus manus eorumdem opera pervenerant; obstupuitque postquam inter Gallos & Britannos de hujusce inventionis gloria litem esse intellexit. Addidit libro epistolam quamdam ad Thomam Cevam e S. J. virum sane omni liberali doctrina ornatum, quo neminem conjunctiorem tum ipse habebat, & quocum jamdiu ei commercium erat de rebus ad mathematicas disciplinas pertinentibus. Et profecto hic erat epistolæ locus opportunus, & aptus ad ea, quæ antea tractaverat Grandius. Agit enim de logistica ex quodam cylindro resecta, qua occasione alia multa traduntur in quibus spiralium diversi generis origo, spiralis Archime-

deæ,

deæ, & parabolæ Apollonianæ æqualitas, infinitarum parabolarum & ſpiralium comparatio, novus cycloidis rectificandæ modus, & alia iſtius generis plura. Neque hoc in loco tam vera invenire quam falſa convincere voluit Grandius, cum contenderet Sturmium, Guarinium, & Rinaldinium ea in re lapſos eſſe, quod ſpiralem ſemicircumferentiæ circuli genitoris æqualem, non vero majorem eſſe putaverint. Borellio quoque rationem fugiſſe affirmanti, duas ejuſdem ſpiralis revolutiones eſſe inter ſe, ut ſunt circulares zonæ quibus comprehenduntur. Si quis vero hæc minus prædicanda eſſe duxerit, quod nunc ſublimioris Analyſis ope paucis lineis confici ea omnia poſſint, quæ Grandius multis paginis expoſuit, næ ille vehementer errat. Magno enim ſemper in pretio fuit veterum Geometria, ſemperque erit, quam dum tractaret Grandius ſatis oſtendit, ſingulari ingenio ſe præditum eſſe ad omnes ſtatim noſcendas vias, quibus eo, quo intendebat, perveniri

niri

niri poſſet, nec minori judicio ad rectiſſimam, expeditiſſimamque eligendam. Et hæc quidem facultas exercitatione atque uſu adoleſcit quidem, minime gignitur. Suppeditatur illa ab ipſa natura, adeoque dominatur in omnibus diſciplinis & artibus, ut ſine ea nemo poſſit ad excellentem præſtantiam pervenire. Porro homines ſummi ſummis laudibus debitam, meritamque gratiam retulerunt Grandio, poſtquam in vulgus editum utrumque opus viderunt *de theorematis Hugenianis*, *& de problematis Vivianeis*. Ego vero, quamquam conſuevi ſenſa potius, quam verba ipſa, ac teſtimonia laudatorum referre; malo tamen hoc in loco conſuetudini meæ, quam gloriæ Grandii deeſſe. Sunt enim illa magnifica, ac prorſus ſingularia. *Ut legi*, inquit Euſtachius Manfredius, *Demonſtrationes tuas Vivianeas, ac Hugenianas, ſtatim judicavi poſſe te cum præcipuis ævo noſtro Geometris conferri, & ex Italis certe conferri tecum poſſe, quod ſciam, neminem*. Jacobus Herman-

mannus hæc ad ipſum Grandium ſcripſit: *Vivianea, & Hugeniana theoremata magno cum acumine demonſtrata dediſti, & ad multas alias meditationes geometricas methodos tuas mira cum dexteritate extendiſti, qua in re & id etiam inter alia magni faciendum puto, quod omnia ad ſimpliciſſima, Geometria Euclidea, & Apolloniana, elementa ſumma cum perſpicuitate revocaſti, in quo potiſſimum Geometricarum Demonſtrationum elegantia conſiſtere mihi videtur.* Iſaacus vero Newtonus his verbis Grandio litteras dedit. *Accepi librum D. Viviani de locis ſolidis, ut & libros tuos, in quibus Geometria demonſtras problemata Viviani, & Hugenii, & pro tanto munere gratias ago quamplurimas. Geometriam Veterum adhuc florere & veſtris eximiis inventis, ac demonſtrationibus auctam eſſe valde gaudeo. Hyeme præterita librum de rebus opticis, & origine colorum olim ſcriptum in lucem edidi, cujus exemplar ad te mitto. Angliçe ſcriptus eſt, & ſub finem invenies libellum unum, & alterum de rebus mathe-*

ma-

maticis idiomate Latino, quorum gratia totum mitto. Utinam tanto judici non displiceant. Nec illud quoque ad laudem Grandii mediocre fuit, quod cum Gravesandius opera Hugenii omnia collegisset, edidissetque in lucem, locum inter ea dederit *Geometricæ Demonstrationi theorematum Hugenianorum*, in qua etsi pauca quædam notare se posse putavit, integrum tamen opus summo dignum esse Geometra judicavit. Hoc opus secutum est illud, quod inscribitur: *Quadratura circuli & hyperbolæ per infinitas hyperbolas & parabolas geometrice exhibita &c.* Volebat sane Grandius, tamquam viam aliquam longam, difficillimamque confecisset, omnibus ostendere, quale illud esset, quo pervenisset, imitatus Gregorii a S. Vincentio, Nicolai Mercatoris, & ipsius Newtoni exemplum, qui quamvis circuli quadraturam desperandam esse, utilissime tamen tentari posse putarunt. Quæsivit primo num quadratura parabolæ, qualis ab Archimede proposita fuit, cum qua-

quadratura Circuli commune aliquid haberet. Et quidem obſervavit, quemadmodum prior per infinita triangula recte procedit, ſic alteram procedere per infinitas hyperbolas, quæ quadrari queant, eodemque modo quadraturam hyperbolæ per infinitas parabolas obtineri poſſe. Sed hæc obſervatio nihil proderat Grandio, eo quia ſeries triangulorum Archimedeorum, utpote coſtans ex terminis in ratione geometrica decreſcentibus, ſummari poterat: quod aliter eveniebat in hyperbola & parabola, quarum ſeries conſtabant ex terminis diverſa lege progredientibus; quapropter haud poterant niſi proxime ſummari. Id quamvis Grandius probe noſſet, nihilo tamen minus in medium proferre ſtatuit cogitata ſua; quam rem dum aggreditur, audit neſcio quid ſimile de hyperbola Nicolaum Mercatorem in ſua *Logarithmotechnia* propoſuiſſe. Itaque re in aliud tempus dilata, nihil non egit ut analogiam ſuam longius proveheret, invenitque tandem cum per hyperbolas, tum

 per

per parabolas quadrari proxime posse circulum & ipsam hyperbolam. Hoc præcipuum fuit argumentum libri, quem an. MDCCIII. vulgavit, nuncupavitque Io. Gastoni Mediceo. Quoniam vero ea est circuli, & hyperbolæ natura, ut dimensio utriusque nonnisi per infinitam seriem quadrabilium terminorum haberi possit, nullaque geometrica linea, cujusvis ea sit ordinis, se definiri patiatur, hinc e re sua fore putavit Grandius, si subsidia a sublimiori Analysi petiisset. Qua de re plurimum commendatus est a Leibnitio gratulante non tam Grandio, quam Italiæ universæ, quod *illo in primis duce* (2) in admirabilis, utilissimæque scientiæ cognitionem ipsa pervenisset. Hoc loco descripsit Grandius curvam illam lineam a se excogitatam, quam *versoriam* appellavit. Mira prorsus est lineæ proprietas, quod quamvis duplum minime excedat circuli genitoris, si tantillum circa axem versetur, solidum procreat vere infinitum. Multum & frequenter usus est Grandius hu-

hujusmodi linea in definiendis tum intensionibus lucis, tum sollicitationis, ut ajunt, gradibus, & scala velocitatum in Newtoniana gravitatis hypothesi. Quemadmodum per has scalas ad sublimiores tum Physicas, tum Geometricas veritates ascendi possit suo exemplo ostendit Grandius, monens tamen circumspectione quadam opus esse, cum fieri posse diceret, ut minus cauti in hisce scalis ruinæ periculum non ascensum inveniant. Dum hæc exponeret alia quoque subjecit geometrica inventa, quæ quasi aliud agenti ultro se obtulerunt, quæque ingrati fuisset contemnere. In his numerari debet nova ratio mensurandi infinita spatia curvilinea, rectificandique innumeras curvas lineas. Proposuit postea, cum secundo typis librum commisisset, novam rationem quadrandi hyperbolam adhibita proportione ex infinitis aliis composita, novamque intulit demonstrationem quadraturæ circuli per infinita rectangula. Quæ vero ad solvendum problema quoddam a

Bernoullio propositum, sibique a Leibnitio communicatum (3) exposuit eo in loco (4) ubi de variis modis transformandi curvas tum superficies, tum lineas in alias diversæ speciei agit, talia quidem sunt, ut eo vel uno constare possit argumento, in ea Geometria, quam syntheticam vocant, Grandium illa quidem ætate cessisse nemini. Ft quoniam enumerare omnia, quæ in ejus libris admirabilia sunt, magnum esset, juvat recensere maxima, atque ita, ut, si quibus Geometriæ studia minus sapiunt, ii etiam intelligant in quantum gloriæ fastigium eorum ope venerit Grandius. At mirum quantum ipse tribueret suæ Geometriæ. Per eam enim explicare se posse putabat, quomodo ex nihilo creatus sit mundus (5), & quomodo in ovo, & feminibus insit vis earum rerum, quæ ex ipsis progignuntur (6); ex ea nasci omnia commoda vitæ, omnemque pene cogitationem mentis divinæ, rationemque naturæ ab ipsa pendere. Videre mihi videor Grandium,

post-

poſtquam infinite parvorum Geometriam ſua in poteſtate habuit, in excelſo loco poſitum, exultantemque lætitia, quod non ſolum longe lateque patentes regiones unico oculorum intuitu perſpicere poſſet, ſed prope etiam ſuperbientem, quod per eam infinitates omnes rerum, & naturæ peregrinari, & tenere ſe poſſe conſideret. Quoniam autem vir alta quadam mente præditus non facile modum tenet, vel ultra infiniti terminos progredi ſe poſſe ſperavit; unde etiam cum Varignonio in certamen venit, aliiſque Geometris Gallis, qui Wallifii pluſquam infinita hyperbolica ſpatia tamquam repugnantia a Geometriæ finibus in exilium agebant. Itaque edito libro *de infinitis infinitorum, & infinite parvorum ordinibus* oſtendit hyperbolas altioris ordinis, licet ex una parte finitum ſpatium comprehendant, ex alia tamen uſque adeo ſpatium pluſquam infinitum continere, ut etiam infinite majus ſit eo ſpatio, quod ab Apolloniana hyperbola circumſcribitur, quo-

circa ſpatium Apollonianæ hyperbolæ, licet utraque ex parte jam infinitum, quantumvis adhuc multiplicatum, ſemper minus oſtendi quovis ſpatio ad unam aſymptoti partem ab altioribus illis hyperbolis contento, & qualibet etiam aliquota ipſius parte; ac demum ita comparari debere ſpatium infinitum hyperbolæ Apollonianæ ac ea ſpatia quæ ab altioribus comprehenduntur hyperbolis, ut quædam finita quantitas ad infinitam, ut o ad 1. De natura igitur infinitorum, variiſque tum infinitorum, tum infinite parvorum ordinibus ſic egit Grandius; tam multas hyperbolarum Walliſii demonſtrationes tamque acutas invenit, ut Anglorum cauſſa contra Gallos probabilior eo patrono videretur; quæ res maximi fuit Grandio adjumenti ad hominum famam colligendam, ſeu potius augendam. Verum cum Varignonius non ſolum in ſua perſiſteret ſententia, ſed quereretur etiam de Grandio, quod illam oppugnaſſet, hic ſuæ exiſtimationis eſſe putavit *Proſtaſi* quadam illa diluere,

quæ

quæ objecerat adverſarius, intuleratque in volumen an. MDCCXII. Actorum Lipſienſium. Neceſſe præſertim habuit declarare, id quod pluſquam infiniti nomine vocabat non eſſe magnitudinem utcumque alia infinita majorem, cum infinitæ magnitudines ſecundum quorumvis numerorum rationes aliæ aliis majores, aut minores eſſe poſſint, quin eumdem infinitorum ordinem tranſgrediantur; ſed tales ſe intelligere magnitudines, quæ ab infinitorum ordine emergentes ad ordinem altiorem eleventur, ut finitis magnitudinibus accidit, ubi ad ordinem infiniti tranſierint. Si hæc bene poſita principio fuiſſent, non torſiſſet homines doctos nominis controverſia, quæ quidem honorabilis eſt Geometriæ, cum in hac facultate nullus eſſe poſſe videatur diſputationi locus, niſi cum minus dilucide proponitur, quid ſit id, de quo quæritur Num vero exiſtentibus magnitudinibus pluſquam infinitis, varii infiniti gradus exprimendi potius eſſent per rationem duplicatam,

 tri-

triplicatam, quadruplicatam &c. rationis ſimpliciter infinitæ, quam per rationem poſitivi ad negativum, non conveniebat inter eos ipſos, qui has pluſquam infinitas magnitudines libenter agnoſcebant. Et juſtam reprehendendi ſui cauſſam dediſſe viſus eſt Grandius doctioribus viris, quod priorem minime ſit amplexus ſententiam. Diſſenſit etiam cum Varignonio, quod hic aſſeruerit angulum contactus eſſe æqualem angulo ad centrum circuli oſculantis; & varietatem hypotheſis, a qua uterque diſcedebat, cauſſam credo contentionis intuliſſe. Alter enim curvas ex elementis circularibus, alter ex rectis compoſitas animo concipiebat. Uterque ſane recte. Neque enim fieri poteſt, ut his in rebus quis in errorem labatur, ſi eamdem ſemper hypotheſim retineat, nec ab una in alteram tranſeat. Hujuſmodi controverſiæ magnos rumores excitarunt, quod non tam duorum hominum agi cauſſa videretur, quam Academiarum Londinenſis, & Pariſienſis. Addebant vero animos Grandio,

quæ

quæ de Isaaco Newtono narrabat Henricus de Nova Villa his verbis ad eum scribens: *Te certe, & tua studia amat, laudatque plurimum, ac patriæ suæ denuo gratulatur talem nobis & veritati contra Parisienses æmulos fautorem vindicemque obtigisse*. Fuit & alia caussa, quare Grandius pro Anglis acerrime contendere perseveraverit. Nam cum in Londinensem Academiam an. MDCCIX. adscriptus fuisset, volebat omnibus ostendere se de ejus gloria plurimum laborare. Præterquamquod ita natura comparatus erat, ut nescisses utrum veritatis, an contentionis cupidior esset. Qua re factum est, ut minime ei defuerit voluntas longius protrahendi disputationem, quamquam Varignonius nullum *Prostasi* responsum dederit; sed adversarii mors, cohortationes amicorum, & quæ antea scripserat Leibnitius (7) retuleratque in Acta Lipsiensia ad componendas lites, & ad defensionem suæ methodi *infinitesimalis* illum a proposito revocarunt. Habuit iisdem temporibus Grandius

dius alios adversarios, quibuscum ingenium, & iracundiam suam exerceret. Rogatus a Bartholomæo Interio quid sentiret de libello quodam Lucæ Antonii Portii (8), cui propositum fuerat ostendere momenta corporum gravium in plano declivi descendentium non habere æqualem, sicuti ex vero docuerat Galileus, sed majorem proportionem ad eorumdem momenta, dum illa ad perpendiculum cadunt, quam habeat altitudo plani ad suam longitudinem, ingenue per litteras respondit certissimisque argumentis probavit, non Galileum, sed Portium errati culpa teneri, quod falso ipse sibi persuaserat corpus premere inclinatum planum vi haud quidem eidem plano, sed horizonti ad perpendiculum directa. In quo cum Portii lapsum coarguit, tum etiam Vitalis Jordani intulit mentionem, qui pari in re antea offenderat, editaque epistola affirmarat modo majorem, minorem modo esse hanc proportionem, & esse posse etiam æqualem, siquidem planum, quo

gra-

grave corpus ſuſtinetur, angulum xxxxv. graduum cum horizonte efficiat. Neque vero in eo convincendo, errorisque cauſſis aperiendis laborandum ſibi eſſe duxit, rem dicens in aperto poſitam, ſi quis hæc ſtudia vel leviter attigiſſet. Hæc Grandii ad Interium Epiſtola ipſo, ut affirmabat, inſcio edita Romæ fuit, graviterque Jordanum pupugit, quaſi ab ipſa in contemptionem adduceretur. Dubitavit aliquandiu, num ei reſponſum redderet, quod in ſene decrepito contenderet tranquillitatis amor cum gloriæ deſiderio. Pervicere tamen Hieronymi Tambuccii ſollicitationes preceſque; ejuſque nomine, qui ſui olim fuerat auditor, edidit Romæ Epiſtolam an. MDCCXI., quam Joſepho Davanzato nuncupavit. In ea ſe fore acerrimum dignitatis ſuæ defenſorem prædicabat. Tota vero ipſius defenſio illo præſertim nitebatur fundamento, quod corporum gravium directiones haud ſint inter ſe parallelæ, verum omnes in terræ centrum vergant. Neque eo contentus Jorda-

danus fuit, ut pro se ipse caussam diceret. Multa præterea senili quadam rabie criminose congessit ad deprimendam famam adversarii, quem talem esse affirmavit, ut cogitationes suas assequi non posset; minimeque propterea admirandum, si dum eas convellere voluit, in varios ipse inciderit errores. Credo ipsum postea pœnituisse quod inhumane adeo provocaverit Grandium, eamque epistolam malis ominibus prælo datam votis lamentisque revocasse. Etenim alter cum finxisset ultorem esse injuriarum suarum Marium Cænigam discipulum suum, memoratam ad Interium Epistolam iterum typis mandat, novisque adnotationibus ornat, quod se improbare diceret illas, quæ aliena manu ad mordendum præsertim Portium antea conscriptæ fuerant. Tali modo, & id quod intendebat exquisitioribus rationibus confirmare, & quæ contra objecerat Tambuccius refutare potuit. Quod vero tum ille, tum ejus præceptor in minimis tenuissimisque rebus lapsi fuissent id satis esse ar-

gu-

gumenti dixit, non plus eos attigisse Geometriæ, quam pueri solent; hocque ut magis magisque hominibus comprobaret, Tumbuccium ad solutionem cujusdam problematis (9) invitavit. Non recusavit Tambuccius doctrinæ suæ periculum facere, sed eo successu, ut edita *responsione ad Cænighianam epistolam* novis reprehensionibus caussam dederit. Etsi non tam reprehensor Cæniga, quam acerbissimus accusator voluit videri in ea, quam ad Tambuccium hac de re scripsit, epistola. In hanc vero non solum retulit, quæ Grandius, sed etiam, quæ alii Mathematici Hermannus, Fagnianus, Gallianus, & Lorenzinius excogitaverant, inveneruntque ad illud solvendum problema, addiditque etiam in fine nonnulla sane utilissima ad Locorum Geometricorum doctrinam spectantia, ut compensaret credo offensionem, quam plerique ex hujusmodi scriptis querelarum, & jurgii plenis excipiunt. Ex iis, quæ sunt in extrema epistolæ pagina apparet, dum hæc typis imprimerentur, secundo in publi-

blicum prodiisse Tambuccium partim emendantem, partim, ut est hominum vulgus, confirmantem veteres errores suos. Quid quæris? Tæduit tandem Grandium cum imparibus adeo se dimicare adversariis, & finem huic disputationi facere se debere putavit illis de Quintilio Varo Horatianis versibus.

Si defendere delictum quam vertere malles
Nullum ultra verbum, aut operam sumebat inanem;
Quin sine rivali teque, & tua solus amares.

Non tamen dissimulare postea potuit Grandius, sibi, quæ acta fuerant, displicuisse, præsertim cum rumor esset, summum dolorem, quem in hac disputatione cœpit Jordanus, mortem ei attulisse. Sed nunquam ego sum adductus ut istud credam; & ea quæ extremo tempore vulgavit Jordanus non mediocria dedere indicia mitigati animi sui in Grandium (10). Dedere & æquitatis cum professus fuisset plura falsa, & plena erroris esse in epistola,

quam

quam supra commemoravimus, ad Davanzatum. Ut vero par pari referret Jordanus Tambuccii nomine proposuit Cænigæ bina problemata, quæ nunquam fuisse soluta falso affirmavit is quem habuit rerum suarum scriptorem (11). Etenim minime in manus ejus pervenerant dialogi quidam, in quos conjecta fuerat illorum problematum solutio, quosque exaravit Grandius cum inter se, & Alexandrum Marchettum mathematicarum disciplinarum in Academia Pisana Professorem orta esset acerrima sane contentio. Hujus initia, & tamquam semina fuerunt invidiæ sensus qui solebat lacerare Marchettum; præterea spes filio erepta succedendi muneri suo, postquam Magni Etruriæ Ducis Mathematicus dictus est Grandius; denique hujus hominis liberior quædam licentia, qua de mathematicis Marchetti scriptis judicium ferebat. Erant & malevoli, qui rumoribus improbissimis dissipatis, nascentia odia inflammare studebant. Hæc inclusa aliquandiu intra unius Urbis mœnia,

nia, postea in apertum erupere. Nam Marchettus vulgata verbosiore, quam vel ipsius fautores voluissent, epistola ad Bernardum Trevisianum, jure se de Grandio queri posse putavit ob ea, quæ de se ille scripserat, cum secundo edidisset librum *de Quadratura circuli, & hyperbolæ*, quæque nos in commentariolum de vita ipsius Marchetti retulimus. Quæ huic tam loquaciter litigioso responderit Grandius eodem in loco significavimus, neque talia esse putamus, ut iterari singula debeant. Non enim tam se ipsum defendere voluit, quam proterere & conculcare adversarium; cujus in libro *de resistentia solidorum*, quo maxime is gloriabatur, triginta & ultra propositiones partim falsas, partim non bene declaratas, partim male demonstratas corrigendas suscepit. Quod vero ad duo illa capita spectat, in quibus maxime versari disputatio videbatur, de solido parabolico æqualis ubique resistentiæ, etiam cum utrimque fulcitur, & de infinitis *zeris* ad quam-

quamlibet finitam quantitatem generandam idoneis, in quorum altero Marchettus Galileum emendaverat, alterum exprobraverat Grandio, hic quidem nihil non egit, ut illa infirmaret, atque dilueret; ſed quam vere, ii facile judicabunt, qui utrumque legerint. Quatuor in hac controverſia Dialogos ſcripſit Grandius, quorum primum tantummodo in vulgus edidit, reliquos edere ab Academiæ Piſanæ curatoribus prohibitus. Ex his tamen multa ſumpſit ad componendum librum, quo ſe, Galileum, & Vivianium purgandos, arguendumque Marchettum putavit. Nonne id agendum nobis fuit, ajebat Grandius, ut materiem ſubtraheremus inſolentiæ illius, & ſummorum virorum famæ conſuleremus? Interpretatio ſententiæ Galilei ad illam errore liberandam plus acuminis, quam veritatis habet. Quid ni potius confeſſus eſt Grandius lapſum quidem Galileum fuiſſe, quod putaverit ſolidum parabolicum non ellypticum requiri, ut fulcris utrimque impoſitum ubivis

 æqua-

æqualiter resistat, sed hujusmodi erratum facile ignoscendum esse homini, qui primus omnium difficillimam, utilissimamque scientiam, quæ ad corporum resistentias pertinet, omnino genuit? Dum hæc tractaret Grandius nonnulla ex interiori Geometria petita addidit, atque attulit de suo, quæ mirifice amplificasse hanc mechanices partem merito judicavit Physicus summus Musschenbroekius (12). Non æque tamen placuerunt nonnullis præclarissimis viris, si Leibnitium, aliosque paucos excipias, quæ de creatoribus suis *zeris* in medium protulit; reprehensusque a Varignonio, & Wolfio fuit, quod *zerum*, ut ipsi loquebantur, *absolutum* pro *relativo* sumere videretur. At vero eorum, qui a Grandio stabant, hæc erat ratio defensionis: cum ille infinitum nominabat, nullum aliud infinitum, quam maximi ordinis designasse; eodemque pacto, quoties *zerum* diceret, toties infinitesimum infimi ordinis intelligi voluisse, quod ex ejus sententia idem erat ac nihilum absolutum:

Hoc

Hoc autem multiplicato cum maximo infinito non videre se, quare non idem gignere deberet, quod simul gignunt infinitesimum, & infinitum primi ordinis, vel infinitesimum, & infinitum secundi, vel cæterorum ordinum, id est eamdem unitatem. Illud & addebant, quod omnium maximum argumentum ad rem suam probandam fortasse putavit Grandius. Dividatur unitas aliquo numero, habebis fractionem eo minorem, quo major est divisor, adeo ut si hic in infinitum crescat, ipsa abeat in nihilum. Quia vero fractio cum suo divisore multiplicata eumdem divisum numerum reddit, hinc si qua fractio ob infinitum divisorem ad nihilum redacta cum eodem divisore multiplicetur, unitatem restituere debebit. Jam si divisor ponatur esse infinitum maximi Ordinis, quæ hinc oritur fractio erit infinitesimum ejusdem ordinis, idest *zerum*, quo proinde in divisorem suum multiplicato priorem unitatem restitui necesse erit. Mitto argumentum alterum e natura

rapiat. Si velocitas illa minuatur, deponet materiam, & alveum attollet. Jam vero quis non videt, fluvium interposita cataracta retardari? Igitur materiam ad fundum dejiciet, primum quidem pone cataractam ipsam, donec cavum repleat usque ad cataractæ fastigium; & alveum sibi muniet longo tractu horizontalem; deinde cum segnius adhuc labatur, propterea quod nihil in hoc tractu devexum habet, eaque segnities ad superiores quoque aquas transferatur; materiam & per hunc quem diximus tractum, & per totum superiorem alveum aliam atque aliam dejiciet; neque desistet, donec declivitates omnes adipiscatur, quas ante habuerat; has enim adeptus velocitatem recuperabit suam, & admixtam sibi materiam secum deferet. Atque his sane novus fiet alveus, qui a summo cataractæ fastigio ad ultimam usque fluvii originem protendetur, vel certe ad cataractam usque superiorem si qua sit, ibique cum alveo veteri conjungetur, & hunc ipsum veterem alveum

devexitate & flexu omni imitabitur. Sic diſputabat Grandius, cujus argumenta perpendens Joannes Baciallius homo mathematicarum rerum ſcientia excultus vix aliquid invenit, quod concederet. Nam neque alveus a ſumma cataracta uſque ad originem fluminis, aut ad cataractam aliam ſuperiorem attolli creditus ei eſt, neque ibi alveo veteri occurrere, neque declivitates eaſdem, quas ante habuerit, ſibi componere; neque omnino ad altitudinem evehi tantam, quanta putabatur. Quæ ipſe expoſuit ad opinionem ſuam comprobandam, non multum ab iis aliena, quæ Euſtachius Manfredius hac eadem de re rogatus ſententiam ipſi Grandio objecit, legi poſſunt in parte I. voluminis II. Commentariorum Academiæ Bononienſis. Interrogatus Grandius a Franciſco Ferronio de iis, quæ conducere putabat ad exſiccanda ipſius prædia poſita in Valle Nebulæ tribus editis ſcriptis oſtendit, quæ commoda ex derivatione turbidarum aquarum in eadem prædia ſperari

rari

da proponeret. Profecto si adversarii dignitati pepercisset Grandius, magis ipse servasset suam; meminisseque debebat viros bonos malle commemorare, se cum vincere possent pepercisse, quam cum parcere possent vicisse. Duravit isthæc concertatio ad annum usque MDCCXIV., quo tempore Marchettus diem obiit supremum, vacuamque fecit Grandio mathematicarum disciplinarum Cathedram, in qua, ut diximus, præcipua constitit caussa inimicitiarum. Subinvidere Marchettus Filius, aliique, sed frustra. Intelligebat enim Cosmus Magnus Dux neminem esse in Etruria, qui ex mathematica laude aspirare ad Grandium posset; quapropter e re sua fore putavit, si ejus opera uteretur non modo in docendi munere, sed etiam in omnibus iis rebus, quæ Mathematici prudentiam requirerent. Erat controversia inter nobiles quosdam Florentinos, num ad pistrinum faciendum in flumine Era construi posset genus illud cataractarum, quod nos dicimus *Pescaje*

enim omnes usu, diligentia, atque prudentia. Præterquamquod videbatur interdum Grandius nimium indulgere & concedere Geometriæ & calculis, qui quidem partes agere debent in re aquaria, sed minime primas. Etenim naturæ experimentis res universa præsertim subniti debet. At si fefellit nonnunquam Grandium Geometria sæpissime eumdem direxit ad veritatem, ut mihi utrumque collaudandum esse videatur, quod res hydraulicas pertractans suis erratis cautiores, & præclaris inventis prudentiores fecerit homines. Idem vero & de ipsa scientia, deque Italia, cujus illa est propria, præclare meritus est, cum auctor & adjutor fuisset Thomæ Bonaventurio ad perficiendum opus, quod inscribitur *Raccolta di Autori, che trattano del moto dell' acque*. Ab Archimede initium faciendum ipse putavit; obtinuitque a Jo. Bottario politissimo sane scriptore, ut in Italicum converteret, quod ad nos pervenit ejus-

dem

dem opus de rebus iis, quæ aquæ insident. Contulit vero ipse plurimum laboris ad contexendum librum, qui valeret non solum ad augendam collectionem illam, sed etiam ad hydrometriam amplificandam. Sunt in eo nonnulla, quæ non semper cum experientia congruunt; quæque propterea ad calculos Geometriæ frustra revocaveris. Sunt vero alia multa, & subtiliter inventa, & eleganter firmeque probata, quibus sæpe cum laude Grandii usus est Eustachius Manfredius in illis suis doctissimis commentariis ad aureum Gulielminii opus de fluminibus dirigendis. Præ cæteris plurimi facere videtur locum tractatum uberrime de impetu aquæ in aggeres ad cursum aquarum quomodocumque inclinatos, quo in loco demonstrat Grandius vim, quam aqua in eosdem aggeres exercet, se habere ut aggeris longitudo, quadratum sinus inclinationis, nec non quadratum velocitatis aquarum. Multo ante a se meditata attulit Grandius ad de-

rari potuissent, & quæ detrimenta non bene antea institutæ derivationes vicinis agris intulerint. Agros Pisanum, Grossetanum, aliaque loca sæpe jussu Principis invisit; sæpe etiam cœli salubritati, civiumque utilitati consuluit. De reducendo Rheno in Padum multum est, ac diu Romæ consultum, disputatumque acerrime Bononienses inter & Ferrarienses, cum eadem de caussa surrexissent quoque cum clamore Veneti, Mantuani, Mutinenses, Parmenses, cæterique Cisalpinæ Galliæ populi pene omnes. Harum disputationum caussa cum facile Grandius impetrasset a Cosmo, ut sibi ab Etruria, postulante præsertim summo Pontifice, abesse liceret, Romæ fuit toto ferme anno MDCCXVII. favitque plurimum & voce & scripto Bononiensibus. Neque id re incognita fecit. Antea enim cum Dominico Riviera Præsule amplissimo inviserat loca, unde averti, & per quæ deduci Rheni aquæ debuissent. Invisit iterum annis MDCCXIX. & MDCCXX. cum Præsule Ri-

nuc-

definiendam velocitatem aquarum; & hanc ſubduplicatam eſſe altitudinum declaravit. Huic vero innixus principio confecit tabulam parabolicam, cujus ope velocitates, & quantitates aquæ e vaſe affluentis diverſis altitudinibus reſpondentes inveniri poſſent. Arbitratur aquam prodire e vaſibus eadem velocitate, quam decidens corpus e ſuprema aquæ ſuperficie in locum foraminis acquireret. Inæqualitas fundi & riparum ex ejus ſententia parum aut nihil fluminum curſum retardat. Secutus exemplum Bernardini Zendrinii, & Ioannis Bernoullii transferre ſe poſſe putavit ad motum fluminum, quæ de virium compoſitione & reſolutione tradiderunt Mechanici. Inclinabat animus illius, ut arbitraretur fluminum fundum ad cycloidis formam excavari, quod hæc ſit curva linea celerrimi deſcenſus, quodque æqualibus prematur ubique momentis. Hæc & alia hujusmodi dum proferret Grandius, non dolere debebat, ut doluit interdum, ſi quis-

piam

piam ab eo dissenserit. Profecto in hoc rerum genere omnis cognitio multis est obstructa difficultatibus, eaque est in ipsis rebus obscuritas, ut non sine caussa e doctissimis viris nonnulli, invenire se posse quod cuperent, diffisi sint; alii vero, sicuti Alembertius, omnia ea, quæ sciri queant, ad duo vel tria capita redigi debere putaverint. Sed id satis superque de hydrometricis Grandii scriptis: non enim omnia, quæ exaravit, enucleanda, & quæ gessit aut Principis jussu, aut aliorum invitatu commemoranda esse existimavi. Neque vero Bonaventurio tum primum auxilio fuit. Etenim magna in eum Grandii merita jam ante constiterant, cum ipse novam operum Galilei editionem perficiendam suscepisset. Præclarum consilium, atque omni quidem laude dignum, eo præsertim tempore, quo potentes religiosi viri in Etruria, ut & alibi, quasi noctem quamdam rebus Physicis indignissime offuderant. Suscepit Grandius curam cogitationemque dignam doctrinæ

suæ,

ſuæ, ut, quæ inchoaverat Vivianius *De Reſiſtentiis* ad illuſtranda hac de re Galilei cogitata, ipſe perficeret, & in ordinem redigeret. Reddere voluiſſe videtur Vivianio, quæ Apollonio & Ariſtæo ipſe præſtiterat. Verſatus erat eodem in argumento, ut ſupra poſuimus, antea Grandius, cum edito libro reſpondiſſet graviter contra Marchetti accuſationes. Et quidem tum demonſtravit, qua ratione infinita ſolida æqualis reſiſtentiæ inveniri poſſent ſive ex una, ſive ex utraque parte in muro figerentur; ſive ratio haberetur, ſive non, eorumdem ponderis; ſive partes ejuſdem ſolidi, ſive plura & diverſa ſolida ejuſdem nominis inter ſe compararentur; cujus rei omne artificium in accurata conſideratione duarum figurarum, a quibus ſolida genita eſſe intelligere poſſumus, conſiſtere videtur. Tranſtulit hæc omnia Grandius in novum opus, quod injuria fortaſſe dixeris ſupplementum Vivianei, adeo ſunt multa, quibus illud ornavit,

quæ-

quæque attulit non ſolum ad illuſtranda, elegantiſſimiſque demonſtrationibus confirmanda, ſed ſæpe etiam ad illius cogitata divinanda. Neque eſt credibile, quam multa quoque ei venerint in mentem acuta atque ſubtilia, cum nonnulla, quæ Vivianius minus bene declaraverat, defendenda atque excuſanda ſuſcepit. In his excudendis noluit Grandius egredi fines, quos ſibi Galileus & Vivianius conſtituerant, eaque propter in revocandis ad Geometriæ calculos ſolidorum corporum reſiſtentiis nullam rationem habuit illorum texturæ, flexibilitatis, viriumque, quas corporum fibræ exercent, quamquam intelligeret ea omnia expendi & probari debere in tractatione artis atque uſu. Nihil enim ex iis eſt, quod non ad opus faciendum, quaſi ad ſcopum collineet. Dum hæc ſcribit, exulcerati animi prodit indicia: neque enim ita ſibi imperavit, ut non aliquibus reſponderet ſibi a Marchetto objectis, quamvis reſponſione indigna videri potuiſſent.

ſent. Cætera ſuppeditata a Grandio, quæ comitantur operibus Galilei, non minorem laudem merentur. Spectant ea ad motum ſolidorum corporum in fluidis, & præſertim ad illuſtranda decreta Galilejana de accelerato motu cadentium corporum. Accurate definivit plana & ſcalas virium, velocitatum, temporum, & ſpatiorum, ſeu conſtans, ſeu varia ſit gravitatis actio, ſive per rectam, ſive per curvam lineam corpora ipſa cadant; oſtenditque mirum Galilejanarum legum uſum vel in majoribus a centro diſtantiis, in quibus locum habere poſſit gravitatis varietas. Inter multa præclara a Grandio hoc in loco demonſtrata illa præſtantiſſima merito judicantur, quæ ad celebre problema de linea *Brachyſtochrona* pertinent. Nemo ignorat Galileum putaſſe lineam celerrimi deſcenſus circulum eſſe, quod erratum facile ii excuſabunt, qui animadvertent, quæ ſit rei difficultas, & quo in ſtatu temporibus illis eſſet Geometria. Primi, qui palmam in hoc ſta-

 dio

dio tulere, fuerunt Joannes & Jacobus Fratres Bernoullii, Newtonus, Leibnitius, & Hofpitalius; fed nemo eorum arbitratus eft ad id, quod volebant, perveniri poffe via veteribus Geometris ufitata. Hanc fecutus eft Grandius feliciffime; nec fane dubito, quin fi expofita ab ipfo perveniffent ad manus Joannis Bernoullii, idem dicturus fuiffet, quod accepta, quam Newtonus fecit, ejufdem problematis folutione pronuntiavit, *fe noffe Leonis unguem*. Vulgatus deinde liber eft de fectionibus coni anno MDCCXXII. in eoque preffius & clarius a Grandio tradita, quæ invenerat Apollonius. Mirabitur fortaffe aliquis hominem, qui longe plurimum in Geometricis rebus valebat, defcendiffe ad elementa fcientiæ tradenda. Sed ipfum non tam propria gloria, quam publica utilitas delectabat. Quamquam ex eo labore plurimum cepit gloriæ. Etenim non folum celebriores Italicæ fcholæ, fed etiam exteræ complures utiliffime illo fe uti poffe judi-

dicarunt, quod neminem parem haberet elegantia, & copia rerum cum brevitate conjuncta. Fit initium a relationibus, quæ sunt inter *ordinatas* ad axem ejusque *abscissas*; hinc prodit theoria tangentium, a qua deinde progressio fit ad *ordinatas* ad Diametros quasvis. Porro *foci* determinantur cum proprietatibus inde pendentibus, compluribus adjectis, quæ recentiores invenerunt. Quæ spectant assymptotos hyperbolarum plene cumulateque, & pro rei dignitate explicantur. Ubique vero, quæ generalia sunt & tribus sectionibus communia, unica propositione comprehenduntur, unica item demonstratione probantur. Sub finem libri dimensiones variorum spatiorum ac solidorum, parabolicorum in primis, & hyperbolicorum subjiciuntur, & plerumque per indivisibilia, interdum etiam per spatia *differentialia*, sed synthetice ubique demonstrantur. Commendationi libri magnus cumulus accessit, quod ex Italico in Hispanicum, & semel iterumque in Latinum

ſermonem converſus ſit; quodque additamentis & notis Chriſtianus Hauſenius, & Octavianus Camettus, alter in Lipſienſi, in Piſana Academia Matheſeos Profeſſor alter, ipſum adornarunt. Paullo poſtquam hæc edidit Grandius, dono miſit Regiæ Londinenſi Academiæ Libellum, cui nomen inditum *Florum Geometricorum manipulus*. Lectiſſimi ſane flores, quos Geometriæ hortus a prima adoleſcentia ab eo cultus, & ſemper auctus ſuppeditaverant. Horum nomine ipſe ſignavit figuras, curva linea quadam per aliquot foliorum ambitum ab uno centro ſeſe explicantium ducta, circumſcriptas. Habet vero pro numero foliorum flores *bifolios*, *trifolios*, *tetrafolios*, *pentafolios*, *exafolios*, quibus methodi gratia addit *unifolios*. Lineæ, quæ flores generant, *Rhodoneæ* ab ipſo appellantur. Hæ autem per terminos incedunt infinitorum ramorum ab eodem centro prodeuntium, nec non æqualium ſinubus angulorum in data aliqua ratione reſpondentium angulis, quos ipſi

rami

rami cum recta datæ positionis comprehendunt. Constans illa angulorum ratio Rhodoneæ ipsius ratio propria appellatur. Simplex Rhodonea est, quæ unica perficitur circulatione, duplex quæ duplici, triplex quæ triplici, atque ita deinceps. Ejusmodi Rhodonearum proprietates præcipuas elegantissime enucleat Grandius, spatia & perimetros dimetitur, omnia XII. propositionibus complectens. Harum proprietatum ea maxime commemorabilis mihi videri solet, quod Rhodonea, quæ unica circulatione perficitur, dimidium sit ejus circuli, a quo circumscribitur; quæ vero binis, aut quæ ternis circulationibus gignitur, ea duorum triumve circulorum dimidium æquet, idemque proportione de reliquis dicito. Ad hæc nonnullas earum partes, quin etiam integros flores exhibet, qui absolute quadrari possint. Erat hæc spinosa quædam tractatio atque aspera, quam tamen expeditam, explicatamque reddidit industria sua; calculis præsertim longissimis ad synthesin redactis,

qua in re mira ejus perſpicuitas, elegantia, brevitas fuit, & quaſi b.num illius ingenii proprium, atque perpetuum. An vero natura cum flores atque arbores alit, ſuccum iis alimentumque ſufficiat ea lege, quæ ad Rhodoneas generandas maxime eſt neceſſaria, hujus rei perveſtigationem phyſicis integram reliquit. Et tamen ita rem eſſe inclinabat animus ut crederet; eo quia facilis & prona ſit ejusmodi curvarum ab circulari figura derivatio, ac veriſimile ſit nutrientem humorem in orbem diffundi. Hæc ſi ſtent, illud conſequi videbat, plantarum figuram aliam eſſe in ſeminibus, aliam in ipſis plantis maturitatem conſecutis. Etenim Rhodoneæ nondum evolutæ nil niſi circulos imitantur. Exceptus cum adprobatione, plauſuque omnium liber animos Grandio addidit; quare altero libro alios flores complexus eſt, ſive curvas alias, quas honoris cauſa dicavit Clæliæ Borromeæ ingenioſæ juxta ac nobili feminæ; eamque ob rem *Clælias* appellavit;

qua-

quarum generatio a Rhodoneis ſuperficie tenus differt, quod illæ in curva, hæ vero in plana deſcribantur. Id vero ad detegendam illarum cum his convenientiam mirifice prodeſt, eo quod applicationi innitatur plani ad innumeras ſuperficierum curvarum ſpecies; ſicque geometrica illa apparet ſimplicitas, qua a planis ad ſolida gradus fit, & quæ maxime ad generales coſtituendas methodos conducit. Eſt autem Clæliarum genus unum, quod maxime conſentit Velis a Vivianio quadratis, de quibus ſupra mentionem fecimus; idque contingit cum conſtans angulorum ratio, qua determinantur ſinus, per quorum extrema curva linea ducitur, eſt ratio æqualitatis. Adjecit operi corollarium, quo nova traditur *meſolabii* conſtruendi ratio ad geminas proportionales expeditiſſime inveniendas. Utraque pars operis in lucem edita an. MDCCXXVIII. poſtero deinde anno in Italicum e Latino converſa ſtudio Thomæ Narduccii Patricii Lucenſis, viri in omni geometriæ

parte præſtantis, Lucæque recuſa eſt. Acceſſerunt quædam ab Auctore ipſo additamenta, ex quibus, aliiſque indiciis intelligere poſſis, in his inventis valde ſibi Grandium placuiſſe. Auxerant etiam iis dignitatem nobiles Angliæ Mathematici, qui Rhodoneas illas miris laudibus ornarant, atque in *Tranſactiones Philoſophicas* retulerant duobus continuis menſibus Quintili & Sextili an. MDCCXXIII. Neque tum primum decoratum eſt ab Academicis Londinenſibus Grandii nomen. Ab eo enim tempore, quo ipſe in Academiam fuit cooptatus, arbitratus eſt poſſe ſuo jure quodammodo ſibi vindicare, ut quæcumque mitteret probarentur, & civitate donarentur. Multum valuit ad conciliandam hanc doctrinæ opinionem *Epiſtola Geometrica in ſyſtema ſonorum Narciſſi Archiepiſcopi Armachani*, quam rogatu Laurentii Magalotti ſcripſit, quæque relata fuit in volumen *Tranſactionum* an. MDCCIX. Secundo & tertio auctiorem poſtea edidit Grandius, quod ea non mediocriter glo-

ria-

riaretur. Et merito quidem, cum minime ignoraret illam maxime probasse Newtonum & Halleyum, ejusque commendatione præsertim factum esse, ut ipse in Academiam adsciseeretur. Proposuerat Narcissus problemata quædam, quæ maxime idonea putavit ad acusticam provehendam, analogia ducta ab iis, quæ de propagationum reflexione & refractione lucis iis temporibus demonstrata fuerant. Ænigmata potius quam problemata dixisses. Obscure adeo proponebantur, ut ne inspecta quidem, quæ iis adjuncta erat figura, Auctoris mentem assequi te posse putares. Hanc divinare aggressus Grandius existimavit Narcissum in ea fuisse sententia, sonoras undas in hyperbolas sinuari concentricas, ita ut spatium omne, in quod diffunditur sonus, sit solidum hyperbolicum, cujus basis sit terrestris hemisphærii superficies, altitudo vero ipsius terræ diameter. Hac re posita investigavit, quas in curvas inflecti deberent radii phonici, ut omnes eodem tempore ad hyperbolici hu-

hujus ſpatii fines appellerent; invenitque has eſſe alias hyperbolas, quibus undæ omnes ſonoræ ad perpendiculum ſecentur. Neque hac inveſtigatione contentus Grandius, quæſivit etiam qua proportione aeris denſitas in diverſis a tellure diſtantiis decreſceret, ſi quidem radii phonici eidem ac radii lucidi refractionis legi obtemperantes in memoratas hyperbolas flecterentur; deinde, quæ foret lex refractionis, ſi dum radii phonici in eaſdem flectuntur lineas, aeris denſitas eadem proportione cum augeſcente a tellure diſtantia decreſceret. Ex his plura infert jucunda quidem & ingenioſa; minime vero ad uſus phyſicos transferenda; nam ut ipſe Grandius initio epiſtolæ animadvertit, luminis ac ſoni proprietates immane quantum inter ſe diſcrepant. Quæ adhuc retulimus Grandii Geometrica ſcripta talia quidem ſunt, ut eum in magnorum Geometrarum numero collocent; ſi vero ea præſertim ſpectes, quæ ante annum MDCCX. exaravit (nam poſt id tempus viſus eſt nonnihil

in

in suo cursu constisse) non dubitabis quidem cum nobilioribus, uno alterove excepto qui iis temporibus extitere, Geometris ipsum comparare. Quærebant ex ipso multi, insulse sane, & stulte, cur tantum laborem in Geometriam insumeret? His vero respondere solebat aut vulgato & noto Galilei dicto (14) aut explicatione earum rerum, quas ipse, aliique, Geometria duce, ad Reipublicæ commoda procuranda contulerant. Sed etiamsi nulla esset utilitas, addebat ille, ex Geometria, ipsa tamen propter se ipsam amari & excoli deberet. Quanti enim illud faciendum est, simplicem veritatem non longe, & obscure, sed prope aperte & palam intueri? Qua tutiori regula meriti possumus ingeniorum vim tum in investigandis rebus, tum in judicandis? Quo maiore subsidio hujusmodi naturæ bonum acuere & alere? Nulla unquam ætas de laudibus Archimedis conticescet; Inventa Geometrica Newtoni & Cartesii omnium mortalium fama ce-

le-

lebrabit, cum tamen oblivio inoſcuraverit nomina multorum, qui artes non modo utiliſſimas, ſed etiam neceſſarias caſu magis quam prudentia ducti aut invenere, aut perfecere. Quamvis Grandius præclara adeo de Geometria judicia faceret, non tamen Geometræ perſonam tantummodo induit; nam & Theologi & antiquitatis inveſtigatoris nomen ſibi ipſe merito arrogavit, & in ſuis libris inſcripſit. Mirum vero quantum in his quoque ſtudiis elaboraverit; & immenſa ſane collegerat ad annales Camaldulenſes, & non pauca ad hiſtoriam Academiæ Piſanæ, invitantibus moderatoribus, contexendam. Diſtrahebatur quoque ejus induſtria in minima quædam, quæ indigna fortaſſe viro Philoſopho videbuntur; & miraberis certe Geometricarum rerum in Italia Principem inveſtigaſſe diligentiſſime, quo pilei genere olim Monachi, ac præſertim Camaldulenſes uſi fuiſſent; quot & quales fuerint moderatores alicujus Cœnobii, & horum ſimilia. Adverſus Jacobum Laderchium

chium ſcriptorem vitæ S. Petri Damiani dialogum exaravit, in quo omnes facile agnoſcunt quam illitteratum & inſulſum opus illud ſit, quantaque eſſet inſolentia atque faſtidium Grandii, cum in hujuſmodi ſcripta incideret. Fingit ſermonem eſſe inter duos Adoleſcentes Gallos, quod Gallos ſcriptores quoſdam, & Dupinium præſertim, male habuerat Laderchius. Editis quatuor *Colloquiis*, quæ inſcripſerat, *Calculus*, *Ferula*, *Scutica*, & *Cenſura*, quintum addidit, cui nomen *Manubrium Scuticæ*, ſed poſtremum hoc minime in lucem exiit: omnia quidem occuli potuiſſent, quod nec rem ipſam probo, adeo ubique acerbitas dominatur, & elegantiam deſidero. Non majori in pretio, ut ego quidem arbitror, haberi debent *epiſtolæ apologeticæ*, aliaque ſcripta, quibus ſub Vitalis Martii nomine latens Fidelem Soldanium Monachum Vallis Umbroſæ oppugnavit. His Grandius confirmavit, quæ de origine *Vallumbroſanorum*, ut ajunt, Monachorum tradiderat ſuis in Diſſertationibus Camaldulenſibus, & illud in primis,

mis,

mis, ex quo controversia nata est, S. Romualdum Magistrum fuisse S. Jo. Gualberti, & ante hunc *Umbrosa* in *Valle* habitasse. Habuit etiam Grandius, harum dissertationum caussa, adversarios alios, & in his (reliquos enim haud commemorandos esse putamus) Apostolum Zenum. Edito hic scripto sane eruditissimo probavit Grandium XVII. annis citius notasse tempora, quibus Petrus Urseolus Venetorum Dux ad Principatum pervenit, & eo se abdicavit. Quæ cum starent, plura alia, quæ Grandius in signandis temporibus ortus obitusque, gestorumque quorumdam S. Romualdi affirmaverat, corruere necesse erat. Quædam ad Urseolum pertinentia emendavit Grandius in eo, quem de ejus vita vulgavit libro an. MDCCXXXIII. rogatu Petri Garzonii Veneti Senatoris præstantissimi. Quod vero ad Romualdum spectabat visus sibi est posse in sua vetere permanere sententia. Ajebat enim Romualdum in vitam introiisse an. DCCCCXVII. & ab ea

ex-

excessisse an. MXXXVII. quæ decennio citius accidisse affirmabat Zenus. Ex multis, quas habuit Grandius, controversiis nulla profecto acrior & molestior fuit illa, quam ei Bernardus Tanuccius Iurisprudentiæ in Pisana Academia Magister intendit. Scripserat Grandius ad Iosephum Averanium Latinam Epistolam, in qua multa sane collegerat idonea ad convellendam Henrici Brencmanni, aliorumque opinionem, quæ oppleverat Italiam, Pandectarum Codicem, quem diu possedere Pisani, extitisse temporibus Iustiniani Cæsaris; hunc Jurisprudentiæ thesaurum ipsos reperisse Amalphi, dum hanc urbem an. MCXXXV. depopularentur, & in patriam adsportasse; ac demum eosdem Pandectarum jure non antea uti cœpisse, quam exeunte sæculo XIII. Porro certissimis antiquitatis monumentis probavit Grandius a Sæculo XII., & ante Amalphitanam vastationem Pandectarum juri Pisanos fuisse subjectos, & vel ante illa tempora Juris Justinianei cognitionem atque

que interpretationem nonnullis in Italiæ locis, ac Bononiæ præsertim in honore fuisse. Hujus vero rei principium se invenisse gloriabatur in iis, quæ Robertus e Monte Monacho Beccensis Cœnobii ad Chronicon Sigeberti Monachi Gemblacensis addidit. Hæc enim habet ad annum MXXXII. *Lanfrancus Papiensis, & Garnerius socius ejus, repertis apud Bononiam legibus Romanis Iustiniani Imperatoris, operam dederunt eas legere, & aliis exponere.* Non æque certa statuere se posse dixit Grandius de loco unde Pandectæ Pisas delatæ fuere. Conjiciebat tamen aut Bononia per Bulgarum, aut Constantinopoli per Jo. Burgundium utrosque Pisanos Jurisconsultos illas in Etruriam venisse, quam posteriorem conjecturam superiori prætulit Grandius, cum secundo epistolam suam typis commisisset. In hac quædam esse putavit Tanuccius in se acerbe dicta (nam antea facta erat offensiuncula sive a Ζηλοτυπία, sive ab injuria aliqua, sive, quod probabilius est, a partium

tium ſtudio nata) quæ ulciſci & perſequi ſtatuit. Multa in publicum propoſuit ad attenuanda non modo adverſarii argumenta, ſed exiſtimationem etiam & famam, quæ perpetua obrui oblivione merentur. Studuit & concitare Piſanos in Grandium, criminans hunc ingratum injuſtumque fuiſſe, quod ipſos Pandectarum inventionis gloria privare tentaverit. Paria paribus ſic reſpondit Grandius, ut ſe quoque defenſorem nimium litigioſum, concitumque ad rixam oſtenderit. Cum vero in eo reprehenſus fuiſſet, quod dixerit: *antiquiorem fortaſſe mentionem Pandectarum apud Petrum Blæſenſem occurrere, qui floruit an.* MCLX., *nec univerſum Digeſtorum opus, ſed duntaxat ejus lacinias aut fragmenta innotuiſſe Ivoni Carnotenſi & Gratiano*, nihil non egit ut objecta ſibi ab adverſario, reſpondens ad ſingula, dilueret. Eo factum eſt, ut iterum prodierit in publicum Tanuccius, qui etſi pugnaciſſime defendit ſententiam ſuam, Piſanos inventores fuiſſe Pandectarum, ha-

rumque perfectam cognitionem habuisse Ivonem, Gratianum, aliosque illorum temporum scriptores, rem tamen ita egit, ut excusans æstum quemdam gloriæ & ætatis præteritam acerbitatem improbare videretur. Nihilo tamen minus edita a Tanuccio magis magisque incenderunt Pisanos in Grandium, adeo ut ipse verens populi injurias & convicia aliquandiu domi se continuerit. Hæc dolentes, qui Academiæ preærant, obtinuerunt a Magno Duce, ut ipse juberet finem aliquando scribendi fieri. Frænum aliquandiu momordit Grandius, mox impotentia elatus sub Bartoli Luccaberti nomine novum librum, Faventiæ dum esset, vulgavit, quem ad rejicienda omnia adversarii dicta, & ad sua confirmanda, plurimum valiturum sperabat. Is vero, ut Florentiam pervenit, magnos excitavit rumores, parumque abfuit, quin publice, cum flammis jam esset damnatus, conflagraretur. Quamvis judicatum fuerit eruditius & elegantius, quam antea tum

Gran-

Grandium disputasse, & multa protulisse ad illustrandam historiam Jurisprudentiæ sane utilissima, nemo tamen approbavit, illum vulnera, quibus aliqua obducta esse cicatrix videbatur, refricasse. In eo etiam merito reprehensus est, quod ad conciliandam quibusdam dictis suis auctoritatem opusculum *de Interpolatione Gratiani*, quod tum ex sua officina exibat, finxerit a Diomede Brava Patricio Tranensi confectum fuisse, editumque Bononiæ an. MDCXCIV. Nihil severe pro rei indignitate respondit Tanuccius; plurimumque ii laudandi sunt, qui pacem inter hos viros honoratos & in Pisana Academia principes conciliarunt. Pacis conditio fuit, ut se abstineret Grandius a confutando libro Jo. Baptistæ de Vico *de novæ scientiæ principiis*, cujus auctoritate abusus erat Tanuccius. Neque hoc solum fecit, sed nullum etiam responsum dedit Brencmanno, qui se, & Schwarzium in Academia Altorfiana Professorem (plura enim sibi cum hoc con-

veniebant) refellendos fusceperat. Ad eas laudes, quas Grandius a multis, & præfertim a Ludovico Muratorio & Uberto Benvoliento accepit ob convictos vulgares errores de inventione Pandectarum, & ob bene declaratum tempus, quo valere & vigere cœpit in Italia Justinianeum Jus, addidit plures fuas; existimavitque poffe eadem de fe prædicare, quæ de Augufto effert Macrobius. *Soleo*, inquit ille, *in Augufto magis mirari quos pertulit jocos, quam ipfe quos protulit; quia major eft patientiæ quam facundiæ laus; maxime cum æquanimiter, aliaque etiam jocis mordaciora pertulerit*. Cum iis, quas diximus, controverfiis extincta effe arbitramur injufta Pifanorum odia in Grandium. Porro neminem facile reperies, qui æque ac Grandius de illorum urbe atque Academia bene meritus fit. Narravimus fupra præclaris confiliis fuis Pifani agri falubritati, utilitatique illum profpexiffe. Quidquid corrogabat pecuniæ, Pifani Cœnobii commodis

de-

destinabat, quod per viginti omnino annos rexit, cuique Bibliothecam satis copiosam, & pecuniam ad eam quotannis augendam legavit. Egit cum Muratorio, ut plura antiquitatis monumenta ab se collecta, quæque Pisarum laudes mire illustrabant, ederentur. Illo consiliario & auctore Astronomica Specula Pisis ædificata est; illo doctore tamquam ad mercaturam Geometricarum artium quamplurimi ad Academiam veniebant; adeoque celebrabatur illius nomen, ut decus ac lumen ipsius Academiæ esse videretur. Hujus optimorumque studiorum caussam egit adversus calumniantes Jesuitas, a quibus doctores ii, qui a minutis insulsisque scholasticorum disputationibus ad naturam contemplandam adolescentes traducebant, Catholicæ religionis hostes vocabantur. Hortari illi non cessabant proficiscentes ad Academiam, ut si quando inciderent in Anatomicos, Chemicos, & Physicos præsertim, a quibus in experimentis habendis opera consumeretur, *a-*

averterent oculos ne viderent vanitatem. Multa etiam ſtulte & arroganter conſcripſerat ex illorum numero quidam cognomine Briga, ad rapiendos in invidiam Piſanos Doctores, cum Florentiæ *Philoſophiam novo-antiquam* (ſic enim inſcribitur poema quoddam Thomæ Cevæ) in vulgus edidiſſet. Surrexit Grandius ad reſpondendum, & *Diacriſi* Latinis verſibus conſcripta Præfationis, & Poematis Auctores levitatis convicit. Ex quo intelligi poteſt pluris illi fuiſſe Academiæ, quam amici (jamdiu enim amicitia conjunctus erat cum Ceva) dignitatem. Cum natura impelleretur Grandius, ut prodeſſe vellet quamplurimis, in primiſque docendo, rationibuſque prudentiæ tradendis, non eſt credibile quantos labores hujus rei cauſſa pertulerit. Extremo autem tempore volens etiam poſt mortem conſulere Mathematicarum diſciplinarum ſtudioſis, illarum elementa perficienda, & vulganda ſuſcepit. Itaque in librum, quem *de ſectionibus coni* edidiſſe diximus, plu-

ra

ra utilissima addidit; neque ita multo post typis Mechanicam commisit, in qua pauca desideres, quæ ad sex antiquorum machinas, ad pendulorum motum, viresque percussionis, & gravitatis pertinent. Nam Opticam & Algebram multo antea sic tractaverat, ut nihil absolutius & elegantius iis temporibus fieri potuisse videatur. Elementa item Euclidea in Italicum convertit; postea Institutiones Arithmeticas, & Geometricas ex se genuit; in quibus postremis laudabis præsertim ea, quæ spectant proportiones inter segmenta rectarum duarum a punctis extremis laterum cujusvis anguli ductarum in latera opposita, atque inter eorumdem oppositorum segmenta laterum. Hac in re adeo processit Grandius, ut Ptolemæum, Theonem, Reinaltum, cæterosque longe post se reliquerit. Iis vero, quibus elementorum tractatio minus digna illius summa doctrina videbatur, respondere solebat; non segetibus solum, & vineis res rusticas lætas esse, sed pomariis etiam, &

 hor-

hortis, tum pecudum paſtu, & apum examinibus, tum florum omnium varietate. Efferebatur vero lætitia cum contemplaretur uberes ſuorum laborum & vigiliarum fructus in optimæ ſpei, quos inſtituebat, adoleſcentibus; tantumque aberat ab invidentiæ ſenſu, ut, ſi quis eorum longius proceſſiſſet, ipſe eſſe vellet ejusdem doctrinæ ingeniique prædicator & teſtis. Sunt in hanc rem teſtimonia, quæ de Thoma Perellio ad Cæleſtinum Gallianum aliquando ſcripſit, quæque hic, ne fraudare velle hominem ſummum debita laude videamur, ſubjiciemus (15). De Joſepho Vernaccinio Piſano narrabat, illum, dum adhuc eſſet ignarus earum rerum, quæ de proportionibus traduntur (non enim ultra IV. Euclidis librum progreſſus fuerat) ſeptem & quadraginta variis modis Euclideam de hypotenuſa propoſitionem per ſe demonſtrare potuiſſe. Flevit Grandius vehementer de cariſſimi diſcipuli morte, quam Arni aquis merſus miſere obivit, cum trium & viginti eſſet

ai-

annorum. At si ipse caros habuit discipulos suos, non minus ab iis dilectus est. Novi ego complures, qui, cum vivam illius benefactorum memoriam tenerent, hanc immortalem reddere studuerunt. Præter eos, quos nominavi, Grandii discipulos silentio minime prætereundi mihi videntur collega illius Claudius Fromondus, homo quidem magnæ doctrinæ, sed novitatis mirum in modum sectator, quem in Geometria domi tradenda interdum habuit diligentiæ suæ vicarium, & Thomas Narduccius, qui, quidquid sciebat, unice se debere Grandio profitebatur. Inter hunc & Grandium plura sunt scripta, & communicata de physicis & mathematicis rebus, prodieruntque in lucem epistolæ, quas Grandius ad ipsum dedit de viribus, ut Leibnitius loquebatur, vivis æstimandis. Secutus Cartesium ostendit has vires augeri eadem proportione cum massa & velocitate; adeo infirmavit præcipuum, satisque notum Hermanni, quicum sibi res erat, argumentum, ut hunc, si minus de

pri-

priſtina ſententia deduxit, ejus tamen argumenti levitatem fateri coegerit; dogmata Camuſii de viribus elaſticas laminas comprimentibus aliqua ex parte emendavit; ac demum falſum eſſe probavit argumentum, quod pro Carteſianis excogitaverat Lovillus, quodque Fontenellius in Pariſienſis Academiæ an. MDCCXXVIII. commentaria retulerat. Exquiſita doctrina & ſingularis induſtria Grandii non ſolum diſcipulis ſuis, ſed & omnibus iis, qui illas requirebant, profuere. Cujus rei plurima ex ejus epiſtolis proferrem teſtimonia, niſi vererer fatigare lectores. Sic habeto: neminem a conſiliis dandis, poſtulatiſque faciendis diſtrictiorem fuiſſe. Cum pro munere, quod illi ſodales detulerant, inviſere deberet omnia ſodalitatis cœnobia, ſtuduit ubique optimarum diſciplinarum amorem accendere; ſuoque exemplo potuit facile dormientes excitare, currentibuſque ſtimulos addere. Utilia præſertim de ſtudiorum ratione ſtatuit Romæ, quo conceſſit an. MDCCXXXIV.

Hoc

Hoc tempore Pontificis juſſu cognoſcere debuit de Galli cujuſdam Epiſcopi litteris, quibus contendebat, adverſus Cæſarienſis Concilii decreta fieri, ſi eo anno Paſcha VII. Kal. Majas celebraretur, & plenilunium Paſchale cadere in XV. Kal. ejuſdem menſis. Scripto probavit Grandius minime novas eſſe hujuſmodi expoſtulationes; ſed Eccleſiam tenuiſſe ſemper, atque ſervaſſe Nicenorum Patrum præſcripta. Quod vero ad Plenilunium ſpectabat, hanc unice defenſionem habuit, non videri illud incidere in XV. Kal. Majas, qui tum dies erat Saturni, ſed in ſequentem, quod circa mediam noctem contingeret. Qua in re fateri Grandius non dubitavit a perfectione abeſſe, quæ Gregorius XIII. ſciverat ad corrigendum Calendarium; & quoties in hunc ſermonem delaberetur, ſolitus erat dicere, maximas laudes deberi Aloyſio Lylio, mediocres Chriſtophoro Clavio, & nullum eſſe cyclum, qui omni vitio careret. Dum agit cum Pontifice Gran-

dius

dius oblata eſt ei occaſio declarandi maximas utilitates, quæ ſperari potuiſſent, ſi ad exitum perveniſſent conſulta a ſe de derivanda ex Pado quadam portione aquæ, cujus ope Rhenus facile ad mare uſque fluere poſſet. Sententiam Grandii una voce, & conſenſu approbarunt Bononienſes; ſed Romani judices, cum quadriennio diſputatum eſſet, repudiarunt. Dona habuit Grandius a Pontifice, ſingulareſque honores ab omnibus iis, qui haud erant ignari, quid valeat ſapientia. Cum ſatisfeciſſet *Viſitatoris*, ut vocant, muneri, & repulſam a ſuis ſummæ dignitatis accepiſſet, Piſas remeavit, ubi ſi vitam otioſam ſine labore & contentione (& quietem profecto defatigatus illius animus poſtulabat) traduxiſſet, minime fortaſſe in tanta, quanta perferre debuit, mala incidiſſet. Exeunte an. MDCCXXXVII. cœpit vacillare memoria, idque malum brevi adeo crevit, ut ægre nomina eorum, quibuſcum verſabatur, meminiſſet. Nihilo tamen minus a ſchola, a ſtudiis,

&

& a ſcriptione noluit ceſſare, quæ cum præſtare ſine ſumma difficultate non poſſet, non erant ſine dolore & miſeratione ſpectantium. Hujus infirmitatis ſigna dedit in epiſtolis, præfationibus, & ſcholiis, quæ tum addidit ſuis Geometricis & Mechanicis Inſtitutionibus, cæteriſque in rebus, quæ Scriptoris, non Geometræ prudentiam (nam res ipſæ adhuc in memoria hærebant) requirerent. Quamquam intelligentium judicio pauca quædam ſunt etiam in iiſdem Mechanicis Inſtitutionibus, in quibus Grandius erraſſe videtur. Cunctantem & prolatantem adhibere remedia ingens vis morbi adorta eſt, ſummaque debilitas conſecuta exeunte an. MDCCXL. Stupor etiam paullo poſt ipſum oppreſſit, ſic tamen ut intelligeret ſe miſerrimum eſſe, & illam, quam tum vivebat, minime eſſe vitam. Hoc in ſtatu cum ſexdecim & amplius menſes fuiſſet, mortem obivit IV. Non. Quint. an. MDCCXLII. Quoad ſivere tenues reliquiæ virium rem ſacram facere, & publicis preca-

cationibus adesse voluit, quod religiosus homo pio Dei cultu unice se recreari diceret. Collegæ illius non solum luctu, sed etiam pompa exequiarum, laudatione, & monumento mortuum honorarunt. In monumento vero hoc legitur elogium.

D. GUIDONI GRANDIO CREMONENSI.
CAMALDUL. ORDINIS EXGENERALI.
ANNOS XX. MONASTERII HUIUS ABBATI.
IN PISANO LYCEO PRIMUM PHILOSOPHIÆ.
DEINDE MATHESEOS PROFESSORI CELEBERRIMO.
GEOMETRÆ NULLI SECUNDO.
EDITIS INGENII PRÆCLARIS MONIMENTIS CLARISSIMO.
THEOLOGO SUMMO. PONTIFICII ET CÆSAREI IURIS.
HISTORIÆ CUM SACRÆ, TUM PROPHANÆ.
PERITISSIMO.
QUOD TEMPLUM HOC PRETIOSA SUPELLECTILE.
MONASTERIUM ÆDIFICIIS BIBLIOTHECA.
REDITIBUSQUE EIDEM ATTRIBUTIS LOCUPLETARIT.
D. AUGUSTINUS FORTUNIUS FORZONIUS-ACCOLTIUS.
MONACHUS.
EIDEM BIBLIOTHECÆ PRÆFECTUS.
VIRO DE UNIVERSO ORDINE. DE LITTERARIA
REPUBLICA.
DE SE OPTIME MERITO.
PERENNE GRATI ANIMI MONUMENTUM.
OBIIT IV. NONAS IULII CIↃ IↃCCXLII.
ÆTATIS SUÆ ANNO LXXII.

Nun-

Nunquam ſcribendi finem facerem, ſi omnia memoria digna de Grandio, quæ ſupereſſe videntur, declarare vellem. Ad ea tamen, quæ narravi, nonnulla addam, ne notior ſit ejus in re litteraria labor, quam integritas conſuetudoque vitæ. Homo, qui ſe invictum a labore præſtitit, tentari quidem, ſed minime vinci a voluptate potuit, adeo ut iis etiam delectationibus renuntiaſſe videretur, quæ ad vitæ commoditatem, jucunditatemque plurimum conducunt. Quare minime eſt mirandum ſi non multos habuerit amicos, quos caſus magis, ſtudiorumque ſimilitudo, quam voluntas & judicium ei conciliavit. In beneficiorum memoria gratus & pius cognoſci voluit, & ipſe benefica voluntate movebatur erga homines præſertim litteris deditos. Ex his nominabo Jo. Lamium, qui Grandii commendatione & precibus hominis nobiliſſimi Pallavicini a Bibliotheca fuit. Libertatem vivendi ut vellet, pronuntiandique judicii ut ſentiret in primis amavit, quod nullo

eſ-

esset artificio simulationis eruditus. Miror vero non parem illis, qui sibi contradicerent, libertatem largiri consuevisse, præsertim cum novitate in iis, quæ ad historiam pertinent, ut in hac quoque re similis esset Newtoni & Leibnitii, delectaretur. Ab inferenda injuria alienus illatam fortiter propulsavit, solitus usurpare dictum illud Pythagoræ: *vas acetarium remove procul abs te*. Nullam artem adhibuit ad colligendas laudes: prædicari tamen de se & nominari plurimum gaudebat, & interdum sua pleno ore laudabat. Quod vitium eo in loco, iisque temporibus, quibus nonnulli juniores Doctores de senioribus, prudentioribusque maledice, contumelioseque loquebantur, aliquid excusationis habet, prope ut concedendum, atque ignoscendum esse videatur. Et sane Grandio ampla laudum suarum materies poterant esse, quæ ediderat, mathematica scripta, summorum virorum de iis testimonia, quæ undique ab eo petebantur consilia, libera-

les

les invitationes Clementis XI. Sardiniæ Regis, & Veneti Senatus, qui illius operam requisiere, gratia & benevolentia Cosmi III. & Benedicti XIV., elogia nobilissimarum Academiarum, in quas cooptatus erat, flos juventutis ab eo institutæ, quæ narrans fiduciam se potius gestarum rerum & morum, quam arrogantiam præseferre arbitrabatur. Studia, quæ sibi eximia & præclara videbantur, quæque ipse excoluerat, laudibus in cœlum efferebat, cætera aut contemnebat, aut parvi faciebat; ex quo offensionem sæpe excepit. Miraberis tamen hominem mathematicum, & moribus paullo asperiorem & duriorem amasse semper Musas. Profecto facilis & expeditus erat ad pangenda carmina (ex tempore etiam eum fudisse Italicos versus accepimus) & Latinas eclogas sæpe Romam ad Arcades collegas suos misit, & interdum etiam ipse in eorum cœtu tum Latina, tum Italica poemata recitavit. Istorum nonnulla sunt in manibus, & ea lauda-

ri, non timens hominum assentationem, ad decus & laudem suam magni interesse putabat. Nihil quidem in vita magnopere est expetendum nisi honestas & laus; sed gloriæ definiendi sunt modi, ab homine præsertim Philosopho, de cujus laudibus omnium est fama consentiens. Sed ita erat natura comparatus Grandius, ut non raro in minimis res suas poneret. Quapropter minime est mirandum si magna contentione a Clemente XI. petierit ut Abbas fieret, vehementerque doluerit, quod se honores petentem suffragiis suis Collegæ præterierint, quasi non repulsam, sed ignominiam, etiam calamitatem retulisset. Parce sobrieque & ad majorum disciplinam vixit. Corpore crassiori fuit, commoda statura, naso amplo, crine rubro, liberali facie, sed deformitas apparebat in incessu, omnique corporis motu. Prima specie bonum libenter dixisses, magnum non item. Ejus similem formam incisit Antonius Selvius in numismate, quod Antonius Franciscus

Go-

Gorius faciendum curavit. Talis fuit vir, cujus merita in litteras nec oblivione eorum, qui sunt, nec reticentia posterorum poterunt esse sepulta.

(1) P. 264. & 479. Hac de re sermonem habens ipse Grandius in Præfatione libri, qui inscribitur: *Quadratura Circuli & Hyperbolæ*, hæc ait. *Quid addam de Cl. Parentio qui an. 1705. . . . generalem complanationem conicæ superficiei rectæ per comparationem ad suam ichnographiam in proportione lateris coni ad radium basis designavit; id quod ego jam an. 1698. inveneram, & 1699 inter Vivianea nostra in appendice de Fornicibus conicis edideram, ac demonstraveram, nescius idem sub aliis terminis in Actis Lipsiæ 1696. a D. Io. Bernoullio sine demonstratione indicatum fuisse?*

(2) Qui cum Grandio de principatu contendere potuisset Gabriel Manfredius ipsum appellat: *Italiæ Analyseos Principem*. Epist. XII. Kal. Mart. an. MDCCIII. Primus certe Italorum Grandius fuit, qui scriptis editis res analyticas tractavit.

(3) Hæc ad Grandium Leibnitius scripsit XII. Kal. Sext. an. 1705. *Postremo ad profectum scientiæ pertinet, ut methodos per solutionem problematum exerceamus. Sic non ita pridem D. Io. Bernoullius proposuit hoc problema: dato (positione) arcu curvæ, invenire aliam curvam infinitis modis, cujus arcus aliquis a nobis assignandus arcui dato sit æqualis, & ita ut, posito datam curvam esse Algebraicam, etiam quæsita sit Algebraica; quod a me est solutum, diversa methodo ab ea, qua ipse est usus.*

 (4) *Ap-*

(4 *Appendix II.*

(5) Ita ille: *Dico eam Infiniti vim agnoscendam, ut etiam quod per se nullum est multiplicando in aliquid commutet, sicuti finitam magnitudinem dividendo in nullam degenerare cogit; unde per infinitam Dei Creatoris potentiam omnia ex nihilo facta, omniaque in nihilum redigi posse, neque adeo absurdum esse, quantitatem aliquam, ut ita dicam, creari per infinitam vel multiplicationem, vel additionem ipsius nibili, aut quodvis quantum infinita divisione, aut subductione in nihilum redigi* De quadr. circ. & hyperb. pag. 29. secund. edit.

(6) *Admissis variis infinite parvorum ordinibus concipere possumus omnia in semine contenta ex uno ad alium gradum subinde promoveri; ut nempe dum ad sensibilem magnitudinem perveniunt, quæ erant in primo gradu infinitæ parvitatis, succedant ad hunc primum gradum quæ erant in secundo, & ad secundum quæ erant in tertio, & sic deinceps. Quod valet etiam de plantulis, quæ in seminulis primo semine contentis latent cum suis infinities adhuc minoribus seminulis continentibus plantulas alias infinities minores, atque ita in infinitum.* In Prælud. Poet. ad lib *de Infinit.*

(7) Notavit Leibnitius etsi possit dici — 1. & similes dicendi modos significent nihilo minora, non tamen dare rationes nisi imaginarias, quarum antecedens, aut consequens sit quantitas nihilo minor, seu rationem — 1. ad 1. vel 1. ad — 1. esse imaginariam. Quod inter alia ex eo probat, quia huic rationi vel simili nullus respondeat Logarithmus. Vide sis præ cæteris. Walmesleyum in commentariis Berolinensis Academiæ an. 1755. pag 97. ex quo facile intelliges quid de hujusmodi ad infinitum pertinentibus controversiis judicari debeat.

(8) Hu-

(8) Hujus est inscriptio: *De motu corporum nonnulla*.

(9) *Data recta linea in dato punto inequaliter secta punctum invenire, ex quo ad terminos data linea, datumque in ea punctum ductis rectis lineis quadrata ductarum ad terminos superent quadratum ducta ad datum punctum spatio quodam dato (dummodo hoc majus sit duplo rectanguli sub segmentis data linea) simulque ut ipsa data linea minima esse probetur omnium per datum illud punctum transeuntium, & rectis, a puncto quæsito per ipsius data linea terminos productis, interceptarum*.

(10) Horum est inscriptio: *Galilei Lemma circa gravium momenta a Vitali Jordano instauratum*.

(11) Cæsar Bisoloctus Jordani vitam scripsit, quæ extat in volum. III. *delle Vite degli Arcadi Illustri*.

(12) *In Præfat. ad Dissert. de Cohærentia corporum* hæc ait: *Denique celeb. Grandi re, atque nomine Grandis in libro italice conscripto*, Risposta Apologetica *dicto, adversus Cl. Marchettum Resistentias solidorum tractavit, illasque paucis propositionibus ex sublimi Geometria petitis mirifice amplificavit*.

(13) Prop. 14. & 20.

(14) Ajebat enim: *dalle dimostrazioni della Geometria, attenenti alle Misure, a' Pesi, ed a' Numeri, s' impara a misurare i Goffi, a pesar gl' Ignoranti, ed a numerare gl' uni, e gli altri*.

(15) Il suddetto Giovane (Perelli) è tutto innamorato dell' analisi moderna, e ne ha un maneggio mirabile, di maniera che scioglie i problemi più ardui di Fisico - Mattematica da se, nè vi è cosa astrusa negli atti di Lipsia, nel Newton, nell' Ermanno, nel Bernoulli, o altri Autori, che egli solamente letta la proposta subito non ne

trovi la dimostrazione analitica in poche righe di calcolo, dimostrando e le leggi delle forze centrali per qualunque curva, e le curve, che soddisfanno a diverse leggi delle forze centrali, e le catenarie in qualunque supposizione di gravità variabile, e le velarie; e l'elastiche, e le trajettorie per mezzi di varia resistenza, e assai più facilmente, che non farei io, perchè non hà il capo distratto, come ho io, in altre cose.

OPERA EDITA

GEOMETRICA Demonstratio Vivianeorum Problematum, quæ in exercitatione Geometrica etrusco idiomate anno 1692 cum sola determinatione prodierant, circa formationem, ac dimensionem cujusvis regularis Architectorum Fornicis; exactumque Tetragonismum infinitarum partium curvæ superficiei tum sphæricæ novi admirandi Fornicis Veliformis Florentini, tum cylindricæ antiqui Scaphiformis Romani. Cum latina omnium versione Italico textui adjuncta, variis notis & scholiis locupletata: addita etiam Appendice de Geometrica quadratura infinitarum partium curvæ superficiei Conicæ variorumque Fornicum ex iis compositorum, Auctore D. Guidone Grando &c. Regiæ Celsitudini M E D Cosimi III. Florentiæ 1699. ex Typographia Jacobi de Guiduccis prope Conductum in 4. Pluribus in libri locis quædam problemata proponuntur, quæ se probaturum promittit Grandius in opere, quod in manibus habebat *de sectionibus sphæroconicis, sphærocylindricis, & sphæroconoidicis*; sed hoc nunquam absolvit.

GEOMETRICA Demonstratio Theorematum Hugenianorum circa Logisticam, seu Logarithmicam lineam, qua occasione plures Geometricæ methodi exhibentur circa Tangentes, Quadra-

tu-

turas, Centra gravitatis, solida &c. variarum curvarum, uti infinitarum Parabolarum, Hyperbolarum, Spiralium &c. aliaque Geometricæ veritates illustrantur. Addita Epistola Geometrica ad Patrem Thomam Cevam S. I. Auctore D. Guidone Grando &c. ad Serenissimum Ferdinandum III. Magnum Etruriæ Principem. Florentiæ 1701. *Typis Regiæ Celsitudinis apud Petrum Antonium Brigonci in* 4. Recusum Amstælodami fuit an. 1728. inter opera posthuma Hugenii. In fine operis indicatur modus quadrandæ hyperbolæ per Tractoriam, cujus demonstrationem Polenius, calculo usus suo, postea invenit. V. ejus Epistolam ad Hermannum de constructione Tractoriæ.

QUADRATURA CIRCULI & Hyperbolæ per infinitas hyperbolas & parabolas, geometrice exhibita. Addita demonstratione dimensionis hyperbolæ per Tractoriam & de spatiorum variorum mensura, & calculo differentiali &c. Ad Serenissimum Principem Ioannem Gastonem ab Etruria. Pisis 1703. *apud Franciscum Bindi in* 8.

SEIANI, & Rufini Dialogus de Laderchiana Historia S. Petri Damiani. Parisiis 1705. *apud Bartholomæum Didier. in* 4.

DISSERTATIONES CAMALDULENSES, in quibus agitur. I. de Institutione Ordinis Camaldulensis. II. de Ætate S. P. Romualdi. III. de visione scalæ, & habitus mutatione prætensa. IV. De S. Petri Damiani, & Avellanitarum Instituto Camaldulensi. Obiter etiam multa Ecclesiastica, & profanæ Historiæ loca illustrantur, & corriguntur. Auctore D. Guidone Grando &c. ad Eminentissimum & Reverendissimum Principem Ferdinandum de Abdua S. R. E. Cardinalem &c. Lucæ 1707. *Typis Marescandoli in* 4. *maj.*

DISQUISITIO GEOMETRICA in systema sonorum D. Narcissi Archiepiscopi Armacani. Extat in commentariis Acad. Londinensis an. 1709. Edita iterum Neapoli fuit an. 1731. a Deramo, & tertio, in Vol. XXV. collectionis Calogerianae Venet. 1742.

DE INFINITIS INFINITORUM, & infinite parvorum ordinibus Disquisitio Geometrica, in qua variis utriusque generis gradibus demonstratis tum methodi infinitesimalis fundamenta ostenduntur, tum praecipue plusquam infinita spatia hyperbolica Vallisii adversus nuperrimos eorumdem Impugnatores vindicantur. Auctore &c. Pisis 1710. *ex Typographia Francisci Bindi in* 4.

QUADRATURA CIRCULI, & hyperbolae per infinitas hyperbolas & parabolas quadrabiles Geometrice exhibita & demonstrata. Editio altera auctior, & accuratior, in qua praeter alia multa, ad veterem appendicem de rectificatione curvarum, altera accessit de earumdem & curvilineorum spatiorum transformatione infinitis modis expedienda. Auctore &c. Pisis 1710 *ex Typographia Francisci Bindi in* 4.

CONSIDERAZIONI *del P. D. Guidoni Grando, e del Sig N. N. sopra la Scrittura del Sig. Luc' Antonio Porzio circa il moto de' gravi per il piano incl.nato, dedicate al Sig. Luigi Anavascoli da F. M. Roma* 1710 *in* 12.

CL. V. D. GUIDONIS GRANDI Camaldulensis Regiae Celsitudinis M. D. Etruriae Theologi, & Mathematici in Pisana Universitate Publ. Phil. Professoris, & Regiae Societats Sodalis, Epistola mathematica de momenti gravium in planis inclinatis, deque directione fulcri in Mechanicis attendenda. Ex Authographo iterum edidit, novis illustravit adnotationibus, & adversus Tambuccianam Episolam opportunately

portunis vindiciis munivit Marius de Cæniga Auctoris discipulus. Lucæ 1711. *Typis Peregrini Frediani in* 4 Latebat sub nomine Marii Cænigæ Josephus Vernaccinius.

ANTILUNARIO, in cui con dugento note Sacre, Astronomiche, e Varie, si scuoprono, e si emendano alcuni sbagli occorsi nel Lunario stampato in Lucca quest' anno 1711. *sotto nome del Canonico Pier-Leonardo Ricci da Empoli, Opera di Niccolò Ripardieri Chierico della Pieve di Montopoli. Aggiuntavi nel fine una tavola corretta del levar del Sole, mezzo giorno e mezza notte, calcolata diligentemente all' elevazione di gradi* 43. *di Polo più comune per la Toscana. Al merito impareggiabile dell' Illustriss. Sig Antonio Magliabechi Bibliotecario dell' A. R. di Cosimo III. Granduca di Toscana, Dublino* 1711. *appresso Zaccaria Conzati in* 4.

EPISTOLA MARII Canigæ Hieronymo Tambuccio. Scripsit hanc epistolam Grandius Aretii Id. Sext. 1711. in 4.

DIALOGHI del P. M. Grandi Camaldolese Teologo ec. circa la Controversia eccitatagli contro dal Sig. Dott. Alessandro Marchetti. In Lucca 1712. *ad istanza di Francesco Gaddi librajo in Pisa in* 4.

RISPOSTA APOLOGETICA del P. M. D. Guido Grandi Camaldolese, Teologo, e Matematico dell' A. R. di Toscana, e Professore Ordinario di Filosofia nello Studio di Pisa, all' opposizioni fattegli dal Sig. Dott. A. M. (Alessandro Marchetti) *nella sua dotta Lettera diretta all' Eccellenza del Sig. B. T.* (Bernardo Trevisano). *Si difendono con tal' occasione il Galileo, ed il Viviani, e si illustrano molte dottrine circa la resistenza de' corpi duri, e circa la forza dell' infinito. In Lucca* 1712. *per Pellegrino Frediani in* 4.

PRO-

PROSTASIS ad exceptiones Cl. Varignonii libro de infinitis infinitorum Ordinibus oppositas circa magnitudinum plusquam infinitarum Vallisii defensionem, & anguli contactus, cum infinite parvo ad centrum osculantis circuli constituto, comparationem. Auctore &c. Pisis ex Typographia Francisci Bindi 1713 *in* 4.

SOLUZIONE di due Problemi Meccanici proposti a' Matematici d'Italia. Extat in vol. XV. *del Giornale de' Letterati Venet.* 1713. Solutio, quam fecit Grandius, extat etiam in Actis Lipsiensibus an. 1714.

RIFLESSIONI sopra la Controversia vertente fra gli Illustriss. Sigg. Marchesi Riccardi, e Niccolini circa l'alzamento d'una Pescaja nel fiume Era. Pisa 1714. *per Francesco Bindi in fogl.*

NUOVE CONSIDERAZIONI fatte dopo l'accesso del mese di Giugno dell'anno 1714. *sopra la controversia vertente fra gl' Illustrissimi Signori Marchesi Riccardi, e Niccolini circa l'Erezione d'una Pescaja nell' Era ad uso d'un Mulino. Agl' Illustrissimi Signori Giudici della Causa. Firenze* 1714. *per Michele Nestenus ec in fogl.*

ESAME della scrittura pubblicata dal Signor Dottor Giminiano Rondelli nella famosa causa del Mulino dell' Era. All' Illustrissimo &c. Marchese Francesco Riccardi Maggiordomo Maggiore, e Consigliere di Stato di S. A. R. In Firenze 1715. *per Michele Nestenus, e Antonio Borghigiani in fogl.*

RELAZIONE I. e II. circa il padule di Fucecchio del P. M. Grandi Teologo, e Matematico di S. A. R., e Professore pubblico di Matematica nell' Università di Pisa. All' Illustrissimo Signor Marchese Francesco Ferroni. In Lucca per Leonardo Venturini 1715. *in fogl.*

RE-

RELAZIONE delle operazioni fatte circa il Padule di Fucecchio ad istanza degli interessati ; e riflessioni circa le medesime del Reverendissimo P. Abate Grandi Teologo, e Matematico di S. A. R. ec. Agl' Illustrissimi Signori Giudici delegati sopra il medesimo padule. In Lucca per Leonardo Venturini 1715. in fogl.

INFORMAZIONE agli Ufiziali dell' Ufizio de' Fossi di Pisa circa una nuova terminazione proposta dell' Era.

MEMORIA che contiene le ragioni per l' unione del Reno di Bologna col fiume Pò tradotta dal Francese (del Signore Eustachio Manfredi) ed accresciuta di trenta note per rischiaramento della materia.

DUE SONETTI, e una canzone di Dubenô Erimanzio. Hoc nomine appellabatur Grandius in Arcadum Academia. Hæc vero carmina impressa fuerunt in vol. VII. carminum Arcadum, quæ collegit Marius Crescimbenius. Romæ 1717. Ipse Crescimbenius partem Latinæ eclogæ, quam fecerat Grandius, conjecit in vol. II. comment. *della volgar poesia.*

LECTORUM Claustralium Camaldulensium auctoritate Reverendissimi Definitoris in designatis Monasteriis constitutorum jus ferendi suffragii in capitulis generalibus sui Ordinis exclusivè quoad pubblicos Professores sæcularium Universitatum sola Principum auctoritate delectos, Assertum & demonstratum per Tiberium Vedmannum I. C. adversus Dissertationem, qua simile jus sibi deberi prætendit D. Iustus Venturinus Theologiæ Moralis in Florentino studio Professor. Ad Reverendissimos PP. Generalem & Visitatores Camaldulenses in fogl. Quamvis hoc scriptum non signetur anno, & loco impressionis, scimus tamen Pisis & an. 1718. illud impressum fuisse.

TRAT-

TRATTATO DELLE RESISTENZE, principiato da Vincenzio Viviani per illustrare l'Opere del Galileo, ed ora compito, e riordinato colla giunta di quelle dimostrazioni, che vi mancavano, dal P. D. Guido Grandi Abate Camaldolese, Matematico di S. A. R. e dello Studio Pisano in 4. Extat inter opera Galilei, quæ edita fuerunt Florentiæ an. 1718.

PROPOSIZIONI appartenenti al movimento de' corpi solidi nei mezzi fluidi. Ibidem extant.

NOTE al Trattato del Galileo del moto naturale accelerato del P. Abate D. Guido Grandi Matematico di S. A. R. e dello Studio Pisano. Ibidem extant.

EPISTOLA GEOMETRICA ad Franciscum Arisium pro Mariano contra P. Clavii censuras. Extat in Tom. II. Cremonæ liberatæ pag. 439.

VOTUM, sive sententia de Geometrica, non autem Arithmetica ratione in proposita facti specie attendenda &c. in Florentina prætensæ læsionis. *Flor.* 1721.

FLORUM Geometricorum manipulus R. S. exhibitus. Extat in ejusdem R. S. Londinensis *Transactionibus* an. 1723.

DEL MOVIMENTO DELL' ACQUE, Trattato Geometrico del P. Abate D. Guido Grandi ec. in 4. Hæc Grandii scripta ad rem aquariam pertinentia, quod non mediocriter ipsam scientiam illustrant, & augent, conjecta fuerunt in collectionem illam, quæ *degli Scrittori dell' Acque* edita est Florentiæ an. 1723. Legi etiam possunt in ea collectione, quæ prodiit Parmæ an. 1766. vol. III.

NUOVI LEMMI appartenenti al Trattato d' Archimede de' solidi natanti. Extant in vol. I. *della Raccolta degli Scrittori dell' Acque*. Firenze 1723.

LET-

LETTERA geometrica al Signor Tommaso Narducci intorno alla maniera di assegnare la ragion de' tempi consumati dal mobile nello scorrere un piano declive, e nello scorrerne due. Extat in libro ejusdem Narduccii, qui inscribitur: *Paragone de' Canali. Lucca* 1723. *in* 12.

Q. LUCII Alphei Diacrisis in secundam editionem Philosophiæ novantiquæ R P. Thomæ Cevæ cum notis Iani Valerii Pansii. Augustoduni 1724. *sumptibus Piorum in* 4. *maj.*

EPISTOLA de Pandectis ad Cl. V. Iosephum Averanium. Pisis 1726. *in* 4.

D. GUIDONIS GRANDII in Pisana Academia Matheseos Professoris, & S. Michaelis in Burgo Abbatis Epistola de Pandectis ad V. Cl. Iosephum Averanium in eadem Accademia I. Interpretem celeberrimum; editio altera cum notis variis, & appendice veterum monumentorum ab Auctore locupletata. Florentiæ 1727. *Typis R. C. apud Tartinium, & Franchium in* 4.

ESAME del progetto del nuovo Molino proposto nell' Albereta dell' Anconella del Reverendissimo P. D. Guido Grandi ec Per il venerabile Spedale di S. Maria Nuova, ed altri interessati nel piano di Ripoli. In Firenze 1727. *per Pietro Matini in fogl.*

SCRITTURA del Reverendissimo P. Abate D. Guido Grandi ec. diretta agl' Illustrissimi Signori Auditori di Rota della Serenissima Repubblica di Lucca sopra la controversia dell' Acque vertente tra la Mensa Arcivescovale di Lucca, e li Nobili Signori Buonvisi ed Orsetti da una parte, e il Nobile Signor Lelio Guinigi dall' altra. In Lucca 1728. *per Leonardo Venturini in fogl.*

FLORES GEOMETRICI ex Rhodonearum, & Claliarum Curvarum descriptione resultantes.

tes, quos una cum novi expeditissimi Mesolabii Auctario Illustriss. atque Excellentiss. D. D. Clelia Grillo-Borromea Comitissa Clarissima & Doctissima in obsequii sui ac venerationis argumentum D. D. D. D Guido Grandius Abbas S. Michaelis in Burgo Pisarum & in Pisana Academia Publ. Matheseos Professor. Florentiæ 1728. Typis R. C. in 4.

D. GUIDONIS GRANDII *Sac. Theologiæ Doct. Cremonensis Abbatis S. Michaelis in Burgo Pisarum, & in ejusdem Urbis Academia publ. Matheseos Professoris Vindiciæ pro sua Epistola de Pandectis Florentiæ secundo edita cum notis &c. adversus inanes querelas, & oppugnationes Bernardi Tanuccii I. V. D. Stiensis in eadem Academia Cæsaris Juris Interpretis in ejus libello non ita pridem Lucæ impresso expositas. Pisis 1728. Typis Io. Dominici Carotti in 4.*

DIOMEDIS BRAVA *Patricii Tranensis Disquisitio Critica de interpolatione Gratiani. Bononiæ 1694. Apud Heredes Benaccii in 4.*

I FIORI GEOMETRICI *del P. Abate Grandi tradotti in Toscano dal Sig. Tommaso Narducci Patrizio Lucchese, coll' aggiunta d' alcune dimostrazioni dell' istesso Autore. Lucca 1729. presso Francesco Marescandoli a Pozzotorelli in 4.*

NUOVA DISAMINA *della Storia delle Pandette Pisane, e di chi prima le rammentasse; come ancora d' altre incidenti questioni collo scioglimento delle difficoltà opposte all' epistola de Pandectis, e alle Vindicie del Reverendissimo Padre Abate Guido Grandi, da Bernardo Tanucci Dottore da Stia. Opera di Bartolo Luccaberti divisa in quattro parti. In Faenza nella stampa dell' Archi 1730. in 4.*

BREVE COMPENDIO *della vita, morte, e miracoli di S. Pietro Orseolo Doge di Venezia,*

zia, indi Monaco, ed Eremita Santissimo. In Venezia 1731. in 8.

RISPOSTA del P. D. Vitale Marzi da Faenza Monaco Camaldolese alle questioni vallombrosane del P. M. D. Fedele Soldani da Poppi Monaco Vallombrosano, al Reverendissimo P. D. Floriano Maria Amigoni Abate Generale dell' Ordine Camaldolese. In Faenza nella stampa dell' Archi 1732. in 4.

LETTERE APOLOGETICHE del P. D. Vitale Marzi da Faenza Monaco Camaldolese in difesa della sua risposta già data alle QQ. Vallombrosane del P. M. D. Fedele Soldani Monaco Vallombrosano. In Faenza nella stampa dell' Archi 1733. in 4.

LETTERE del P. Abate Grandi al Sig. Tommaso Narducci Patrizio Lucchese circa la misura delle forze de' Corpi in moto. Extant in libro Narduccii, qui inscribitur *della quantità del moto dell' acque, Lucca 1733. in 4.*

DE FORMULIS Bon. Mem. Piæ Mem., & similibus, ad Personas viventes aliquando applicatis, dissertatio. Extat in vol. IX. Collect. Calogerianæ Venet. 1733. Hac dissertatione probavit Grandius adversus Gianningum Bollandistam formulam illam *Piæ Memoriæ*, quam Tedaldus Episcopus Aretinus S. Romualdo tribuit, non certo indicare, tum sanctum illum mortem obiisse.

VITA del Glorioso Principe S. Pietro Orseolo Doge di Venezia, indi Monaco, ed Eremita SS. scritta da un Religioso Camaldolese, e consecrata al Serenissimo Carlo Ruzzini Doge di Venezia. Venezia 1733. per Giuseppe Bettinelli in 4.

LETTERA al Sig. Jacopo Bettazzi. Extat in hujus operе, quod inscribitur: *Epitome operis Paschalis. Flor. 1733.*

OF-

OFFICIUM Parvum S. Michaelis. Venetiis 1734.

DISCEPTATIO NEOPILEA in defensionem Decreti Capitularis Monacorum Camaldulensium circa mutationem coloris Pilei. Pisis an. 1735. *ex Typographia Joannis Dominici Carotti in fogl.*

SCRITTURA in risposta a' quesiti de' Signori Giudici della Controversia fra la Comunità di Sinalunga, e l' Illustrissima Religione di S. Stefano circa il rilasciamento d' alcune acque stagnanti. In Siena 1737. *presso il Bonetti in fogl.*

SECTIONUM CONICARUM Synopsis, cujus Auctor D. Guido Grandius Cremonensis &c. Neapoli 1737. *expensis Bernardini Gessari in* 8.

EPISTOLA ad Angelum Mariam Quirinum, qua respondetur exceptioni, quam ipse Quirinus exposuit erga Euclideam demonstrationem lib. VII. Prop. XXI. Theo. XIX. Hanc Epistolam vulgavit Fortunatus a Brixia in libro, qui inscribitur: *Animadversiones in proposit.* 21. *lib. VII. Elem. Eucl. Brixiæ* 1738.

LETTERA al Sig. Senatore Pier Francesco Ricci sopra il benefizio d' una Specula Astronomica in una Università. Extat in vol. XX. Collect. Calcgerianæ. Venet. 1739.

EPISTOLA ad V. C. P. D. Virginium Valsecchium. De Origine agit Italicæ linguæ, & plura exhibet monumenta antiquitatis, quæ probare videntur, quomodo illa ex Latina lingua hanc traxerit originem. Cum simile argumentum tractandum suscepisset Muratorius, & hac de re librum an. 1739. Mediolani edidisset, locum in eo dedit huic Grandii Epistolæ.

INSTITUZIONI MECCANICHE. Trattato del P. Abate D. Guido Grandi ec. All' Illustrissimo, e Clarissimo Signor Senator Pier-Francesco

cesco Ricci Presidente dell' Illustrissima Sacra, e Militare Religione di S. Stefano, Auditore e Moderatore Vigilantissimo dello Studio Pisano. In Firenze nella Stamperia di S. A. R. 1739. in 8.

VITA S. Bononii Abbatis cum notis. Notæ ad Grandium pertinent, vita vero ad scriptorem quem floruisse seculo XI. ipse conjicit. Extat in volumine XX. Collect. Calogerianæ. Venet. 1740.

ELEMENTI GEOMETRICI piani, e solidi di Euclide posti brevemente in volgare dal P. Abate D. Guido Grandi Camaldolese, Professore di Matematica nell' Università di Pisa. In Firenze nella Stamperia di S. A. R. 1740. in 8.

INSTITUZIONI di Aritmetica pratica del P. Abate D. Guido Grandi Camaldolese ec. In Firenze nella Stamperia di S. A. R. 1740. in 8.

EPISTOLA GEOMETRICA ad P. D. Petrum Urseolum Ponte, Monachum Camaldulensem. Extat in vol. XXII. Collect. Calogerianæ.

INSTITUZIONI GEOMETRICHE del Reverendissimo P. Abate D. Guido Grandi ec. In Firenze nella Stamperia di S. A. R. 1741. in 8.

RAGGUAGLIO Istorico delle Badie Camaldolensi. Pisa in 12.

Scripsit Grandius ea, quæ extant in Vol. IV. *del Giornale de' Letterati d' Italia* de libro *de infinitis infinitorum ordinibus*; & quæ narrant controversias, quas cum Varignonio (Vol. VI.), & cum Marchetto (Vol. XV. & XVII.) idem habuit.

OPERA INEDITA.

In hoc contexendo Catalogo eum ipsum servabo ordinem, quem tenuit Ambrosius Soldanius, qui pro suo studio in Grandium, & in suam Camaldulensium Sodalitatem omnia, quæ habere po-

tuit, Grandii scripta collegit, & in XLIV volum. distribuit; quæ nunc ornant Pisanam Camaldulensium Bibliothecam.

Vol. I. *Diverse Scritture appartenenti alle Visite per l' Introduzione del Reno in Pò del* 1716. 1719. 1720. 1721. e 1729. Collegit Grandius accurateque descripsit non tam sua, quam scripta aliorum Mathematicorum, qui has res tractare debuerunt.

Vol. II. Eadem ferme, si argumentum spectes, in hoc volumine continentur quæ in superiori. Hæc omnia perfectam historiam suppeditant earum rerum, quæ tractatæ, & perfectæ sunt totis ferme sexdecim annis, quibus de ejusmodi controversiis consultus est Grandius. Extrema in parte Voluminis extant ejusdem Grandii Italicæ Institutiones Algebræ.

Vol. III. *Scritture, e Memorie sopra il bonificamento della Campagna Pisana.*

....., sopra la Campagna di Grosseto.

.....sopra la Controversia tra i Sigg. Bonvisi, e Orsetti, e i Sigg Guinigi.

.....sopra i danni cagionati dalle rotte del fiume Evola.

....., per le differenze vertenti fra le Comunità di Barga soggetta al Granduca di Toscana, e quella di Gallicano, e Fiattone suddite della Repubblica di Lucca. Diarium fecit Grandius earum rerum, quas gessit, & scripsit in hac controversia, de qua consultus etiam fuit Eustachius Manfredius. Varia ad Historiam Liburni pertinentia.

Vol. IV. Plura habet Volumen istud pertinentia ad flumen Era, quibus causam dedere controversiæ inter nobiles Familias Nicoliniam & Riccardiam. Scripta quædam Grandii hac de re semel iterumque, & tertio typis impressa fuere.

Relazione, e Visita sopra il Ponte del Fosso della Vicinaja.

... del-

..... *della Gusciana, e del Territorio del Valdarno di sotto*. Extant in hoc Volumine minora nonnulla, veluti: *Risposta al Quesito se il num. 3. possa dirsi tal parte di 5. qual è l'8. di 13. ovvero di 14.: Parere in causa vertente tra la Religione di S. Stefano e 'l Monte di Pietà*.

Vol. V. Totum hoc Volumen contexitur ex iis rebus, quæ pertinent *alla restituzione del fiume Pescia di Pescia nel suo letto antico; ai Lavori proposti nel Lago di Fucecchio; alla restituzione della Nievole nell'antico suo letto*; de quibus rebus scripta a se quædam in vulgus edidit Grandius.

Vol. VI. *Scritture, Memorie, e Lettere, e Visite per lo scolo dell'Acque stagnanti di Sinalonga*. Extrema in parte hujus Voluminis extant, quæ Eustachius quoque Manfredius hac super re scripsit.

Vol. VII. *Scritture circa il rimedio dovuto alla Corrosione della destra sponda dell'Arno dirimpetto a Barba Regina*.

Lezione detta nell'Accademia della Crusca delle resistenze de' fluidi.

..... *nell'Accademia Fiorentina, in cui si confuta la dottrina di Famiano Michelini, che il fluido ristretto in un vaso non graviti nelle parti laterali*.

..... *della cagione, perchè i corpi si riflettano urtando in qualche ostacolo*.

Epistola altera Iosepho Averanio de Pandectis.

Riflessioni sopra gli Scritti d'Architettura di Bartolommeo Vanni.

De rationibus tum majoris, tum minoris inæqualitatis, tum etiam æqualitatis, dummodo inter finitarum magnitudinum terminos versentur.

De Cometa, qui apparuit anno 1723.

Marii de Cœniga Demonstratio discriminis inter fumosum paradoxum Magni Galilei de puncto æquali circumferentiæ, & Corollarium Guidonis Grandi de eadem linea infinities posita, & infinities subtracta æquivalente dimidio sui. Eadem Demonstratio in italicum sermonem translata, & aucta extat in Volumine XXXV.

Lettera sopra un Ecclisse Lunare del dì 13. Febbrajo 1729.

Vol. VIII. *Dialogo secondo, terzo, e quarto con alcune lettere circa la controversia col Dottor Alessandro Marchetti.*

Vol. IX. Præter ea, quæ edita sunt in ea quam habuit Grandius controversia cum Iordano & Tambuccio, continet volumen istud plures epistolas, quæ ad hanc ipsam controversiam pertinent.

Vol. X. *Institutiones Phisico-mechanicæ. Eædem Italica lingua conscriptæ.* Non omnia quæ continentur in his manuscriptis Institutionibus locum habuere in libro, quem hac de re edidit Grandius. Et perfectius quidem opus esset, si plurima in eo omissa ex his institutionibus sumerentur ad illud ipsum augendum, atque ornandum.

Vol. XI. Haud commemoranda esse viderentur Volumen istud, & quod sequitur,

Vol. XII. In quibus de Sectionibus Conicis agitur (has enim Grandius in lucem edidit) nisi multæ extarent in iis Epistolæ, & alia geometrica plura, quæ minime sunt edita, & quæ ad idem opus pertinent.

Vol. XIII. *Prælectiones variæ de Metheoris*, aliæ de *Hydrostatica*, & aliæ demum *de Operibus Archimedis, ejusque inventis.*

Vol XIV. *Tractatus varii de rebus physicis.*

Relazione sopra il nuovo letto preparato all' Ombrone per deviarlo dalla sregolata sua, e dan-

na-

nosa curvatura. Extant in fine plura ad Analisym pertinentia.

Vol. XV. *Prælectiones de rebus Physicis*.

Vol. XVI. Nil aliud continet, nisi figuras magna ex parte coloratas, quibus aut usus est, aut uti meditabatur Grandius, in rebus Geometricis præsertim tractandis.

Vol XVII. *Statuta & Leges Academiæ Pisanæ, vulgo de' Rozzi*.

Quædam *de recta Paschæ Indictione*.

Dissertatio de B. Virginis Mariæ in Cœlum Assumptione.

De Libris Sancto Dyonisio Areop. attributis.

Commentaria in Vitam S. Romualdi a Petro Damiano conscriptam.

Vol. XVIII. XIX. XX. XXI. XXII. Omnia his Voluminibus contenta pertinent ad Historiam Familiæ Camaldulensium, ex iisque nonnulla sunt edita, ut *Dissertationes Camaldulenses*. *Disceptatio Neopilea &c.*

Vol. XXIII. *Vita e Culto di S. Pietro Orseolo con altre Vite, e Memorie di Santi Camaldolesi*.

Vol. XXIV. *Scritture e Voti in varie Cause, e Trattati Teologici*.

Vol. XXV. XXVI. XXVII. XXVIII. XXIX. XXX. XXXI. Inscribuntur hæc Volumina: *Exercitationes Geometricæ*. Non multa in iis Voluminibus sunt quæ singulatim commemoranda esse videantur: pleraque horum scripsit Grandius caussa aut memoriæ juvandæ, aut præparandæ materiæ ad Mathematica Opera conficienda. Extant etiam in his Voluminibus Epistolæ quædam ad Thomam Cevam, Laurentium Lorenzinium, & alios.

Vol. XXXII. *Institutiones Conicæ, Geometricæ, & Arithmeticæ*. Pauca hic habes, quæ non ediderit Grandius.

Vol.

Vol. XXXIII. *Algebra, sive Analytica Elementa.*

Vol. XXXIV. *Riflessioni sopra il Discorso del Sig. Marchetti ultimamente pubblicato contro la Risposta Apologetica del P. Maestro Grandi.*

Terza parte della Risposta Apologetica del Padre Grandi alle opposizioni contenute nel Discorso pubblicato ultimamente dal Sig. Alessandro Marchetti. Extant in extrema parte Voluminis *Institutiones Physicæ* inchoatæ, sed non perfectæ.

Vol. XXXV Præter edita scripta de Pandectis, aliisque rebus extant in hoc Volumine, quæ commemoranda videntur: *Esperienza intorno al Calor della Luna, e Notizie dello Specchio Ustorio, che conservasi nella Galleria di Firenze.*

Vol. XXXVI. Præter Colloquia adversus Laderchium jam edita, extat in hoc Volumine Colloquium quintum, quod inscribitur *Manubrium Scuticæ.*

Vol. XXXVII. *Nobilissimæ Paternæ ac Maternæ stirpis S. Romualdi Abbatis Disquisitio genealogica.* Continentur etiam in hoc Volumine: *Vitæ aliorum Sanctorum Camaldulensium.*

Vol XXXVIII. *Miscellanea*, sed non magni momenti, partim historica, partim mathematica.

Vol. XXXIX. *Carmina, & Miscellanea.*

Vol. XL. *Dialogus inter Coccejum & Giasum de Quinti Lectani satyris.*

Vol. XLI. *Martyrologium Camaldulense.* Pars I. & II.

Vol. XLII. *Experimenta Physico-Mechanica excerpta ex libro Hauksbee.*

Vol. XLIII. *Historia Academiæ Certantium.*

Vol. XLIV. *Della Musica piana teorica, e pratica.* Pertinet ad idem argumentum parvum aliud volumen.

Vo-

Voluminibus ſexdecim continentur *Epiſtolæ Clarorum Virorum ad Grandium*, tribus vero continentur ejuſdem Grandii Epiſtolæ, quæ reperiri potuerunt. Multa quidem ſunt, his omnibus in Voluminibus publica luce digna, & ea præſertim, quæ inter Leibnitium, Lorenzinium, Manfredios fratres, Hermannum, Narduccium, Cannetum, Cevam, & Grandium ipſum tractata ſunt.

Optica. Extat apud Thomam Perellium.

Sunt qui narrant, Grandium convertiſſe e Siculo in Etruſcum ſermonem Poema quoddam Philippi Parutæ, quod inſcribitur *la Gelosia*, illudque extare Ravennæ in Bibliotheca Camaldulenſium. Diligentiſſime conquiſitum minime reperiri potuit; quare ſit narrationi fides. Quæ geſſerit Grandius, ut haberemus copioſam epiſtolarum Ambroſii Traverſarii collectionem, & quæ ſcripſerit ad illius vitam explicandam ſciri poſſunt ex Præfatione Laurentii Mehus, qua Florentinam earumdem epiſtolarum editionem ornavit. Admonendi ſunt Lectores, ne minima quæque nos notaſſe putent in contexendo catalogo Grandii operum, quæ adhuc hominum luce carent. Dabunt iidem Lectores veniam, ut hoc loco excribam tres inſcriptiones, quarum una extat Ravennæ in veſtibulo Bibliothecæ Camaldulenſium, altera Piſis in aditu Cœnobii eorumdem Camaldulenſium, tertia demum in prædiolo, quod belle Grandius ipſe ædificavit in Colle Lugani.

I.

I.

D. O. M.

Guidoni Abb. Grandio Cremonensi in Pisano Lyceo Philosopho & Mathematico Geometriæ Principibus facile comparando aquis Tusciæ dirigendis Præfecto Reg. Societatis Londinensis Socio omnigenæ eruditionis cultori & scriptori Pontificibus Maximis Magnis Ducibus Etruriæ Litterariæ Reipublicæ probatissimo Abbates & Monachi Classenses ut optimus huius Cœnobii alumnus qui sapientiæ & religioni vixit posterorum memoriæ vivat & exemplo Ann. MDCCXLVII. P.C.


II.

Guidoni Grandio Ordinis Camaldulensis omnium fere disciplinarum cultori præstantissimo Mathematicarum vero in Pisana Academia Professori longe celeberrimo huius Monasterii quod vetustate obseletum & male materiatum honorifice & eleganter restauravit ac pene a fundamentis erexit Abbati vigilantissimo Monachi veluti parenti optimo in grati animi testimonium obsequentissimi posuerunt Nonis Maii MDCCXXIX.


III.

Reverendissimus D. Grandius Abbas Visitator Camaldulensis Mathem. Disciplinæ in Pisana Academia Prof. amplissimus post quam Pisis ingenti sumptu Monasterii S. Michaelis ab ipso reformati decori & ornamento prospexit de Monachorum salute cogitans villam hanc salubri sub Cœlo a fundamentis erexit cuius beneficii & liberalitatis eiusdem Monast. familia memor perenne hoc in grati animi significationem M.P.A C. MDCCXL.

F I N I S.



ERRATA		CORRIGE
p. 30. *l.* 14.	bene se	bene
34. 7.	ipsum supra	supra ipsum
54. 5.	Antonio	Antonino
59. 22.	Antonius	Antoninus
75. 11.	quanti eorum	quanti eorum quisque
83. 4.	CIϽIϽLXXIX.	CIϽIϽCXXIX.
88. 4.	CIϽIϽVI.	CIϽIϽCCVI.
ibi 5.	Angelo	Michaeli Angelo, *sic* p. 114.
93. 14.	Bacconis	Bocconii, *& sic* p. 114.
95. 11.	Pessulum	Pessulanum, *& sic* p. 118.
ibi 16.	Bacchinii	Bauhinii
119. 10.	pleuropneumoniam	peripneumoniam
216. 24.	ad orizontem fuisse versa	ad horizontem fuisse;
295. 1.	idque	*deme*
297. in fin.	MDCCLXII.	MDCCLXXII.
300. 18.	infinitas parvitates	infinite parvas quantitates
322. 4.	diamatis	diadematis
364. 13.	difficilius aerem emittere videamus	non difficilius modo, sed & largius emittant aerem
ibi l. ult.	Ramurius	Reaumurius
370. 7.	certo quodam in vase	certum quoddam in vas
402. 17.	tyronicii	tyrocinii
442. 14.	puncta	*adde* ordinatæ
444. 2.	æque	*adde* inter se
445. 11. 12.	Borellio affirmanti	Borellium affirmantem
484. 10.	suppeditaverant	suppeditaverat
491. 1.	constisse	constitisse
507. 6. 11.	plenilunium Paschale	XIV. lunam paschalem



523. 16. *Locus hic dandus est duobus librorum titulis, quorum alter est* Del movimento dell' acque ec. *alter* Nuovi lemmi ec. *qui typographi negligentia in sequentem paginam translati sunt. Cætera minora errata ipse per se Lector deprehendet & corriget.*






1974

